




ACADEMIÆ HARVARDIANÆ ECCLESIÆ
ET
SIGILLVM CHRISTO IN NOV: ANG:



ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

PRORECTOR

RUDOLPHUS WAGNER D.

CUM SENATU

SUCCESSOREM

IN

SUMMO MAGISTRATU ACADEMICO

HENRICUM RITTER D.

CIVIBUS SUIS

HONORIS ET OFFICII CAUSA

COMMENDAT.

Inest
C. FR. HERMANNI ELOQ. P. O.
vindiciarum Brutinarum epimetrum.

GOTTINGAE

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

MDCCCXLV.

Redeunte tempore, quo ex lege ante hoc biennium constituta fasces academicos in alias manus transire oporteat, nec mihi nec omnibus, quorum interest, quidquam laetius optatiusve accidere potuisse arbitror, quam ut successorem meum renunciarem virum sapientiae honestatisque laude cumulatissimum

HENRICUM RITTER D.

qui collegarum suffragiis electus et ab Augustissimo Rege clementer confirmatus inde a Kalendis Septembribus per integrum annum principatum hujus Academiae tenebit, resque nostras ea qua pollet diligentia, fide, gravitate reget. Quem annum ut Deus Optimus Maximus ipsi et universae huic bonarum literarum sedi faustum fortunatumque esse jubeat, sincerissimis precibus expeto; vos autem, Commilitones, quorum causa quicquid ad ipsum hoc Musarum sacrarium tuendum ornandumque pertinet vel maxime fieri videatur, pro ultimo magistratus mei officio hortor atque moneo, ut tanta beneficia gratis animis accipiatis, nautarumque instar, qui se sine navi, in qua vehantur, salvos esse non posse intelligant, novi gubernatoris curas industria et obsequio vestro allevetis.

Solemni novi Prorectoris renunciationi ne deesset, quod ex more majorum docti corollarii adjiceretur, quasi provocatione mea factum est, qua in vindiciis latinitatis epistolarum Ciceronis ad Marcum Brutum hujusque ad Ciceronem superiore anno editis optavi, ut post centum annorum silentium philologi aliquando aperirent,

quibus causis moti in tanta Tunstallianorum et Marklandianorum commentorum imbecillitate et calumnia illarum epistolarum auctoritate uti ad hunc usque diem pertinaci fastidio recusarent; quod quum Augustus Wilhelmus Zumptius Berolinensis, magni nominis heres, ita nuper facere instituerit, ut non solum partem eorum, quae equidem in Marklandi disputatione reprehendissem, sua auctoritate tueretur, sed etiam integram epistolam omnium longissimam quintam decimam continua oratione persecutus exponeret, cur singula a Cicerone scribi non potuisse existimaret, novi generis impugnatio etiam novam defensionem flagitare videtur. Nam quod in superiore libello, non ut Zumptio videtur simulatione quadam — qua nihil meis moribus alienius est — sed quia totam quaestionem nondum absolveram, in solum Marklandum refutandum intentus ipsam meam sententiam non declaravi, iis certe, qui me jam bis in Regiae Societatis consessibus adversus Tunstallum disserentem audiverunt, dubium non erit, quin optima fide illarum epistolarum patrocinium susceperim; Zumptiano autem libro lecto tantum abfuit ut ab hoc proposito deterrerer, ut nunquam quemquam justiores defendendi causas habuisse arbitrarer. Doleo sane, acribus verbis mihi utendum esse adversus juvenem, cujus adhuc laudabilia tantum eruditionis et industriae specimina cognovi, quemque ad summa tendentem qualicunque voce mea excitare quam reprehendere malim; at ut me mittam, qui me non ita de literis meruisse puto, ut argumentis impugner, quorum plus quam dimidiam partem quivis tiro, qui Ciceronem diligenter tractaverit, primo obtutu elevet, ipsi Ciceroni praesens auxilium debetur, cui iisdem machinis, quas ille his epistolis adhibuit, haud scio an omnes deinceps libros extorquere liceat. Unum me solatur, quod candidissimum hominem ita de primis harum epistolarum obtrectatoribus judicare video, ut si eadem ad se transtulerit, spes sit fore ut semel admonitus suis quoque opinionibus non magis parcat quam Marklandianis, quarum jam nunc magnam partem ita mihi condonavit, ut quae contra eas disputassem, ut ipsius voce utar, *silentio suo quasi comprobaret;* quod si et ipse caverit, ne in eo criticorum genere

censeatur, *qui tantum intelligunt, ut in locis difficilioribus offendant, sed non intelligunt tantum, ut suum cuique relinquendum esse videant,* et illud evitabit, *ne dum omnia ad unam et suam normam conformare velit, ex decem judiciis, quae proponat, vix unum aut alterum probabilitatis aliquam speciem habeat,* neque arrogantiae illecebris capietur, cui recte vidit nullum criticorum genus magis obnoxium esse: *nam quum ipsi sentire videantur, quantulum argumentis valeant, demirando et stultos appellando, si qui aliter judicare audeant, rationem quasi terrere ac vincere consueverunt.* Nunc tamen id ipsum maxime curandum est, ne quis praecisis Zumptii negationibus territus Ciceronem vel omnia vel singula quae in his epistolis leguntur scribere non potuisse credat; quod ut rite et ordine fiat, primum quidem vel hoc monebo, etiam si minus inconsiderate ac leviter pleraque a Zumptio reprehensa essent, omnem rerum temporumque condicionem, qua illae et olim scriptae et antiquitus lectae et nostris manibus traditae sunt, tantam medicinae atrocitatem recusare; deinde vero ad singula conversus eum se Zumptium exhibuisse ostendam, cujus in hac quaestione dijudicanda omnino nulla auctoritas esse possit; postremo ipsam illam epistolam quintam decimam ita enarrabo, ut sententiarum quoque tenorem et nexum Cicerone neutiquam indignum esse probem.

I.

Primum igitur illud nescio incautius an injustius Zumptius egerit, quod meas vindicias cum iis comparare sustinuit, quibus nuper non Cornelii Nepotis tantum quae feruntur vitae, sed etiam Actorum diurnorum, si dîs placet, fragmenta a justis eruditorum dubitationibus defendi coepta sunt; quorum quam diversa causa sit, neminem opinor paulo peritiorem fugere potest. Mitto Cornelium, de quo ipsi Zumptio, si recte ejus verba intellexi, cum Lieberkuehnio potius quam cum ejus adversariis convenit [1]; quid autem epistolis nostris cum Actis istis commune est, quae ne inter eos quidem, quorum e scriniis primum prolata sunt, fidejussorem locupletem habent, nedum ulla vetustatis specie aut auctoritate nitantur [2]), illae vero non modo codicum Mstorum fide, quam non repugno quin *rem omnium fallacissimam* Zumptius appellet, sed Plutarchi, Nonii, Ammiani Marcellini testimoniis commendantur, neque inter intelligentissimos trium saeculorum criticos ipsumque illud fastidiosissimum Ciceronianorum genus cuiquam scrupulum vel minimum injecerunt, donec duo homines semidocti malisque avibus ad corrumpendam veterem memoriam nati quasi πανικὸν illud excitarent, unde ne nunc quidem doctorum animi ad se redituri esse videntur. Vetus verbum est, *si duo idem faciant, non esse idem*; nec si maxime concesserim, *etiam majus*

---

1) Ita enim loquitur p. 2: *contra Cornelium Nepotem constat acerrime pugnari ab iis, qui judiciis intelligentissimorum latinitatis auctorum contemtis praeclare sibi agere videntur, quum elegantissimas antiquitatis reliquias ad infimae latinitatis tempora traducunt;* qua tamen in sententia vix intelligo quomodo p. 28 nostris epistolis dicendi genus exprobret, cujus geminum exemplum ipse apud Nepotem exstare norit!

2) Cf. post alios Adolphum Schmidt in Zeitschr. f. Geschichtswissenschaft 1844. 8, T. I, p. 316 sqq. Unum fraudis indicium, quo nondum quemquam uti memini, per hanc occasionem ipse significabo, fgm. IV: *incendium in Caeliolo: insulae duae absumptae solo tenus* etc. Itane vero? num incendium etiam *ultra solum* procedere poterat? Nonne hoc ex eodem genere est, quo lepida illa recentiorum *verbotenus, mentetenus*? Latinus homo dixisset *solo aequatae*, Liv. XXIV. 47 etc.

detrimentum nobis nostrisque rebus afferri posse, si quis ea quae tradita sint, tueri omni ratione malit, eamque laudem, quae quondam ab impugnandis maxime veteribus scriptoribus quaerenda esse videbatur, nunc nisi defendendis inveniri non posse arbitretur, illud cuiquam concedam, ut si quis ipse calumniandis antiquitatis monumentis laureolam captet, ei qui non laudis aliqua cupiditate, cujus equidem causas procul habeo, sed veri amore ipsaque rei indignitate motus ad haec defendenda exsurgat, velut Gorgoneum caput superstitiosae traditorum admirationis invidiam objiciat; quae ut fraude aut errore corrumpi potuerint, cautum tamen judicem ne indiciis quidem, quae fraudem arguere videantur, eo abripi par est, ut mitiore interpretatione proposita reum damnet, a cujus vita et existimatione talis criminis suspicio aliena sit. Atque hoc loco illud libenter ex adversario quaeram, utrum censeat integros novem libros, quot Ciceronis ad Brutum fuisse Nonii testimonio constat [3]), a declamatore scriptos esse, eoque nomine etiam ea fragmenta damnet, quae apud Quintilianum, Servium, Priscianum ex prioribus libris memorantur [4]), an tantam fortunae nostrae iniquitatem fuisse putet, ut amissis genuinis subditiciae in ejusdem codicis principio collocarentur, a quo solo et epistolarum ad Atticum et earum quae ad Quintum fratrem inscribuntur, auctoritas pendet? Quorum si prius elegerit, et illud expediat velim, quomodo in tanta cura, quanta extremis Ciceronis annis omnes ejus epistolas ad Hirtium, ad Pansam, ad Octavianum, ad Marcum filium datas — mitto eas quae ad D. Brutum, Plancum, Cassium, alios inter Familiares leguntur — peculiaribus libris collectas esse videmus, ad solum M. Brutum nullae servatae sint, sed declamatore opus fuerit, qui eum defectum ex ingenioli sui copiis suppleret; et unum mihi declamatorem ex tota aetate argentea exhibeat — huic enim, si recte intellexi, nostras tribuit [5]) — cujus id ingenium, ea so-

3) Quod plerique *octo* fuisse docent, Nonii editoribus debetur, qui vulgari nostrarum epistolarum descriptione decepti, pro *nono* libro, unde is primae epistolae locum affert, *primum* substituerunt. Codd. lectionem jam restituit Gerlachius p. 286, eamque rectissime habere docui in recitatione mea *zur Rechtfertigung des erhaltenen Briefwechsels zwischen Cicero und M. Brutus*, in Abhh. d. königl. Gesellschaft d. Wissenschaften T. II, p. 189 sqq.

4) Cf. Orell. Opp. Cic. T. V, P. 2, p. 465 sq.

5) Praeter ea quae p. 18 de Senecae Tacitive similitudine jactavit, cf. p. 23: *illam significationem spretam ab aureae latinitatis scriptoribus argentea demum latinitas repetivit;* quanquam alibi p. 21 *ne latine quidem satis novisse qui haec scripserit* existimat. Quod p. 37 *Gellium male intellectum his tot tantisque erroribus causam praebuisse* suspicatur, ipse sic retractat, ut *declamator etiam aliorum scriptorum, qui nobis non servati sunt, locis decipi potuerit;* nec praeter M. Senecam, cujus ex verbis: *fuit*

lertia fuerit, ut solius fraudis causa non unam aliquam oratiunculam sed novem epistolarum volumina conscriberet, easque non ut Phalaridis, ut Themistoclis, ut ipsius Bruti quae graeco sermone feruntur, frivolarum vel de trivio arreptarum rerum congerie refertas, sed per certum temporis ambitum continua serie ita dispositas [6]), ut vel in paucas illas, quas temporum injuria ad nos pervenire passa est, idem cadat, quod Cornelius Nepos de epistolis ad Atticum praedicat: *quae qui legat, non multum desideret historiam contextam illorum temporum; sic enim omnia de studiis principum, vitiis ducum, mutationibus reipublicae perscripta sunt, ut nihil in iis non appareat, et facile existimari possit, prudentiam quodammodo esse divinationem* [7]). Sive hoc quidem concesserit, exstitisse genuinas Ciceronis ad Brutum epistolas, sed has periisse, in earumque locum nostras successisse contendat, illud rursum quaeram, utrum eas idem quod nostras tempus comprehendisse an aliquanto ante pugnam Mutinensem ita substitisse censeat, ut reliquos menses a declamatore demum subjungi necessarium fuerit? quorum utrum difficilius ad credendum dicas, aegre decernas. Nostris enim libris qui exstant duobus septem minimum antecessisse, et Nonius suadet, qui locum epistolae primae libri prioris, qui tamen ordine posterior est, ex nono epistolarum ad Brutum laudat, et recitatione mea ita probatum esse arbitror, ut vel eum codicem, ad cujus exemplar Mediceus expressus est, eosdem integros habuisse jure mihi statuere videar; quos si adversarius genuinos fuisse concedet, portenti instar foret, si pro duobus extremis, qui hominum animos omnium maxime ad-

---

Messala exactissimi ingenii in omnes studiorum partes, latini utique sermonis observator diligentissimus, declamatorem in epist. XV initio et *verissimum dicendi genus* et *industriam* effecisse p. 26 putat, alius nisi ipsius Ciceronis exempla ei ante oculos fuisse arguit p. 10. 17. 32. 33. 42.

6) Criminatur ille quidem etiam hoc p. 27, quod epistolae IV et XV ita inter se respondeant, ut in priori *occasio alterius epistolae fingendae quaesita esse* videatur; at quaeso quantas turbas cieret, si in tanto epistolarum numero nulla ad aliam respiceret?

7) Rerum peritiam vel Niebuhrius his epistolis concedit, qui quum ceteroquin et ipse communi errore abreptus Ciceronianas esse neget, de reliqua earum auctoritate tanto incorruptior testis erit; cf. the history of Rome edited by L. Schmitz, London 1844. 8, T. II, p. 105: *they are of great interest to those who have Cicero's history at heart; they were unquestionably written at a very early period, and belong probably to the first centuries of our aera ... their author was evidently a man of talent and perfectly familiar with the circumstances of the time ... but in whatever manner they may have been composed, their author lived so near the time to which the letters refer, and their substance is based upon such authentic documents, that we may take them as authentic sources of history.* Tunstalli criminationes historicas singulatim dilui in altera recitatione, cujus summa repetita est in G. G. A. 1845, p. 961—981.

vertere debebant, tam mature spurii subrepsissent, ut et Plutarcho et Nonio et Ammiano fraudem facerent; defuisse autem ab ineunte anno 711 epistolas easque posterius demum a falsario ita suppletas esse, ut antecedentium auctoritate et ipsae a suspicione tutae essent, id vero et ideo improbabile est, quia illo maxime tempore principes rei publicae viros consilia sua per literas communicare necesse erat, nec profecto fieri poterat, ut in tanta ingenii sermonisque diversitate, quantam Zumptius inter has nostras reliquasque Ciceronis epistolas intercedere vult, jam veteres eruditi minus de talis supplementi auctoritate ambigerent, quam verbi causa de octavo belli Gallici libro, quem A. Hirtius adjecisse credebatur, vel de Legum Platonicarum corollario, quod Philippo Opuntio tribuebant, vel de ipso Thucydidis libro octavo dubitatum esse legimus [8]). Unum restaret, ut eodem exemplo, quo epistolis ad Quintum fratrem subditicia ad Octavium in fine addita est, nostrarum quoque libro ipsi extremo declamationes quasdam epistolarum forma conceptas accessisse statueremus, quae non ut ceterae ad praesentem necessitatem scriptae essent, sed universam morum et sententiarum descriptionem continerent, quibus Cicero et Brutus in re publica gubernanda discrepuissent; quod si maxime Zumptio in oppugnanda epistola quinta decima successisset, et hanc et duas tresve sequentes, quarum similis indoles est, facile projicerem, his vero demtis reliquarum auctoritatem eo firmius retinerem, quo minus in has cadit, quod Zumptius nescio qua temeritate de universis jactat *fieri non potuisse, ut, quum tantae res instarent tantumque ubique terroris impenderet, homines in summa re publica versantes inter se scriberent epistolas philosophorum otiosorum more plenas quaestionum ad honeste agendum pertinentium, refertas iis quae gesta essent, eorum quae gererentur inanes!* Quanquam ne hac quidem medela opus esse videtur, si quidem nec ipse Zumptius eorum, quae in illa epistola reprehendit, aliam ac ceterarum omnium causam esse vult, neque ea ratio, qua vel ille vel Marklandus, cujus ipso consortio velut contagione quadam infectus est, aut hanc aut illas impugnavit, modo et hominum et temporum de quibus agitur meritam rationem habeas, ullo modo ad persuadendum

---

8) De Hirtio cf. Sueton. Caes. c. 56, de Philippo Diog. L. III. 37, de Thucydide Marcellin. c. 42 postque alios Jerzykowskii disputationem Vratislav. 1842. 8. Omnino multa apud antiquos falsis nominibus supposita esse inter omnes constat; eosdem tamen tam cautos nedum suspiciosos deprehendimus, ut quicquid nostris criticis in hoc genere successit, ab illorum monitis originem habuerit, ubi illi taceant, summopere prospiciendum sit, ne temerariis damnationibus nostram ipsi ignorantiam confiteamur.

apta est. Neque enim iniquior condicio cogitari potest quam ea qua Zumptius identidem in expostulando utitur, ut singularum locutionum *exempla* sibi exhiberi jubeat, si quid exemplis iisque ad amussim geminis careat, id vero statim Cicerone indignum pronunciet 9), neque in eo consistit, ut Latinos ita locutos esse velit, sed et Tacitum *parum probabilem latinitatis auctorem* appellat et Sallustium respuit et poëtas omnes a limine excludit, quasi omnia, qualia quanta apud poëtam aliquem legantur, ita *poëtarum propria* sint, ut ab aureae aetatis usu aliena haberi debeant 10); adeo denique in hoc genere fastidit, ut ne eam quidem constructionem admittat, cujus ipse *quatuor exempla* apud Ciceronem exstare norit 11), ipsiusque *negligentiae* alia exempla requirat 12), quae si constantiam haberet,

---

9) Sic p. 9 exemplo probari vult quod *non dicam* in altero quoque membro ferri posse dixi, cujus usus si exemplum habuissem, non *probabilem* sed *certum* appellassem; illud tamen etiam nunc teneo, quia membrorum inversio a solo scriptoris judicio pendet, cujus rationes non ex aliis locis, quarum diversa causa esse possit, sed ex ipso de quo agitur petendae sunt. Major etiam injuria est p. 10, ubi ejus rei exempla expetit, quae a tota mea disputatione prorsus aliena sit; qui quod *meritum expleri* dixi, ut *spem* et *officium*, non ita *spem* intellexi, ut *rem speratam* significarem, quam metonymiam facile concedo in *meritum* non cadere, sed utroque exemplo ita usus sum, ut *meritum* pariter ac *spem* vel *officium* quasi pro *mensura* haberi existimarem, quae nisi *expleretur*, nec *spei* nec *officio* nec *merito* alicujus satis fieret. Item p. 12 quod negat me exemplum aut attulisse aut afferre posse, unde *largitionem*, si nihil addatur, praeter *pecuniam* quoquam spectare appareat, unum jam attuli Sest. c. 49, ubi corruptelae oppositum leges agrarias vel frumentarias significat, aliud est Offic. II. 6, ubi itidem a *pretio vel mercede* distinguitur, nec si nullum exstat, ubi ad ipsos *honores* referatur, minus ideo, ubi sensus flagitet, universa vocabuli notio hos intelligi permittet. Duos autem locos prorsus geminos quis inveniat, quin si cavillari velis, ex ipsa similitudine imitationis calumniam petas?

10) Ne quis erret, non is sum equidem, qui Sallustii et Ciceronis latinitatem promiscue habeam, neque eo dementiae processi, quo Zumptius p. 13 insimulat, ut ex Tacito Pliniove quid apud Ciceronem ferendum sit aut non ferendum decernere velim, quorum si singulis exemplis usus sum, adversus Marklandum feci, qui harum epistolarum sermonem ad imam barbariem deprimere non dubitavit; at si quis *latine* dici neget, quae apud illorum aliquem legantur, ne Zumptium quidem prohibere puto, quo minus inde refellatur.

11) Cf. p. 24, ubi his verbis: *ut eloquentia, qua mirabiliter excellit, vix in eo locum ad laudandum habere videatur*, passivam gerundii significationem exprobrat; quanquam ne illud quidem recte dicit, quater tantum hanc apud Ciceronem inveniri, quippe quae in omnibus iis locis appareat, ubi aliquid *facile* vel *difficile ad credendum* esse dicitur, cf. Ruddim. T. II, p. 261 et Hand. Turs. T. I, p. 116, et prorsus geminum exemplum legimus Orat. II. 85: *quae vero etiam cum labore et periculo ipsorum, haec habent uberrimam copiam ad laudandum!*

12) Cf. p. 17: *demonstrari autem oportebat aut relativum posse ad id apponi, quo non pertineat, aut si negligenter non dictum sed cogitatum esse concederet, hanc cogitandi negligentiam solitam esse in veteribus scriptoribus!* Nempe Cicero ubi a Bruto contendit, ut Marcum filium ne a se dimittat secumque in Italiam deducat: *quod ipsum*, inquit, *si rem publicam respicis, tibi jam jamque faciendum est*, ubi

negligentia profecto dici amplius non posset! Nimirum hoc est, quod *apud peritos et intelligentes judices multum valere* putat, *sed parum apud eos, qui minus periti sint;* ubi quod addit *nulla de re difficilius esse judicare quam de stilo qui apud nos dici solet, ut persuadeas autem in hoc genere, rarissime fieri,* miror eum non animadvertisse, quomodo in ipsum retorqueri possit, qui id demonstrationis genus flagitet, quo vel imperitissimis facile persuadeat, peritiae vero et sensui diuturna lectione exculto adeo nihil tribuat, ut summum latini sermonis propagatorem et arbitrum Ciceronem iisdem finibus includat, quibus tironem, cujus specimina magister scholasticus ad Antibarbari alicujus normam corrigat [13]). Exemplorum enim vis haud scio an maxima esse debeat apud imperitos, qui nisi quod oculis intueri manibusque tractare possint, omnino non percipiant, peritum vero nulla re magis cerni arbitror, quam ut tanto usu tantaque judicii subtilitate polleat, ut etiam nullo exemplo proposito dijudicare queat, quid scriptoris ingenio locique alicujus sententiae conveniat; utque caecum codicum obsequium non minus quam Zumptius detestor, ita haud scio an etiam perniciosior sit illa exemplorum superstitio, quae licet imitatoribus, qui ab externis tantum normis pendent, aptissima sit, eum tamen scriptorem, qui suo sibi judicio valeat, eo redigere conatur, ut nisi quicquid dicat bis terve iisdem verbis dicat, timendum sit, ne ubi maxime ingenio suo indulserit, ibi minime sui similis habeatur! At, inquit, de Cicerone agitur, homine *verborum diligentissimo* [14]),

---

si reputamus jam antea de Marci itinere inter ipsos convenisse atque eam tantum rem agi, utrum is solus an in Bruti comitatu veniat, vix negligentia appellari potest, nedum ipsi Bruto ambiguum fuerit, quin id quod Cicero rei publicae interesse ait, non in filii sui adventu, sed in ea re cernatur, ne Brutus illum sine se venire patiatur.

13) Praeclare jam Gesnerus noster in Comm. Soc. Gott. T. III, p. 260: *quid enim? patri eloquentiae nunquam licuit esse aliquantulum negligenti?* Scilicet idem intellexit, quod Schilleri verbis continetur: *der Meister darf die Form zerbrechen mit weiser Hand zur rechten Zeit* etc. Neque alienum illud Grammatici graeci in Crameri Anecdd. Oxon. T. IV, p. 271: *σημειωτέον δὲ ὅτι τὸ σολοικίζειν ἐνιαχοῦ ἀττικίζειν ἐστίν, ἐξ ἀξιώματος τῶν Ἀττικῶν τοῦτο καινοτομούντων.*

14) Gell. XIII. 24. At quid inde sequitur ad auctoritatem libri alicujus existimandam? Summum, opinor, hujus diligentiae specimen exhibet Att. XIII. 21, ubi de Academicarum quaestionum loco disputans: *inhibere illud tuum,* inquit, *quod valde mihi arriserat, vehementer displicet; est enim verbum totum nauticum; quanquam id quidem sciebam; sed arbitrabar sustineri remos, quum inhibere essent remiges jussi; id non esse ejusmodi didici heri, quum ad villam nostram navis appelleretur; quare facies, ut ita sit in libro, quemadmodum fuit.* Quid igitur? fac Atticum non paruisse, vel Ciceronem navim appelli non vidisse, negligentiam mansisse, ideone totum librum a *diligentissimo scriptore* abjudicaremus?

immo *optimo scriptore, quem non dicam latinitas, sed fortasse tota antiquitas tulerit*, cui injuriam facias, si quid insoliti tribuas, quod non e media urbani sermonis elegantia repetitum dignumque fuerit, quod et ipse et alii multis locis identidem usurparent. Audio, neque ea mihi mens est, ut iis libris, quos Cicero integris viribus, per otium, animo curis et terroribus vacuo, populo adolescentibusque doctrinae et imitationis gratia legendos scripsit, severissimam limam convenire negem; eandem tamen si quis ad literas transtulerit, quas sexaginta trium annorum senex festinans, anxius, in extremis rei publicae temporibus, ipsorumque qui hanc salvam cuperent summa dissensione ad amicum dedit, nae is aut deum nobis Ciceronem aut ipsum declamatorem Neroniana aetate dignum informabit, Pedii illius apud Persium instar, qui in ipso capitis discrimine id solum curet, ut *belle* dixisse *doctasque figuras posuisse* laudetur. An hoc quoque nomine epistolas nostras cum Zumptio damnemus, quia, ut illi videtur, non modo singulis verbis, sed toto dicendi genere ad argenteae aetatis morem accedant, *ubique elegantes magis quam graves sententiolas quaerant, ἀντιθέσεις captent, et quae sunt ejusmodi alia, quae Senecae potius aut Tacito quam Ciceroni conveniant?* Mitto quod jam superius significavi, si quid harum criminationum locum habeat, in extremas tantum epistolas cadere, a plurimis autem prorsus alienum esse, quae jejunissima oratione ad praesentem modo usum diriguntur; sed omnino nescio quomodo sua ipse vineta Zumptius cecidit; qui primum quidem, ne scilicet familiaris negligentiae excusationem relinquat, *has epistolas summa cura et elegantia*, certe *quae videatur, elaboratas esse* pro arbitrio ponit [15]), deinde vero easdem nullo graviore crimine persequitur, quam ut pleraque obscure, confuse, negligenter, dure, soloece dicta esse arguat, omnibusque iis vitiis cumulet, quibus

---

Atque hoc de libro, in quo perpoliendo plurimum operae posuit; in epistola, quam ex tempore fudit, num verba omnia statera auraria perpendere poterat?

15) Cf. p. 8: *est enim proprium harum epistolarum, ut fieri necesse erat, quum ostentationis causa a declamatore scriberentur, ut in paucis fere sententiis ac rebus versentur, quae varia ratione illustrantur et amplificantur*, praeterque p. 12 et 18 imprimis etiam p. 29: *at declamatorem sane haec decent, ad eloquentiam ostendendam et inanes quasdam verborum formulas eleganter componendas aptissima*; at quae non dicam eloquentia, sed illustratio vel amplificatio inesse potest *in tanta obscuritate et cogitandi confusione* (p. 24), ubi (p. 23) *non jam orationis elegantia aut proprietas, sed id quod longe gravius est cogitandi leges violentur?* Talemne homuncionem efficere potuisse, ut nugae suae ab eruditissimis omnium saeculorum viris pro Ciceronianis legerentur elegantissimisque epistolarum libris non extrema aliqua pagina in fugam vacui adscriberentur sed praefigerentur, postremo ne intra Italiae quidem terminos subsisterent, sed in Germania quoque disjecta earundem membra invenirentur!

nihil elegantiae, quaesitae praesertim et ad ostentationem compositae, magis contrarium inveniri possit; postremo ne ea quidem, quibus *intra epistolae familiaritatem* locum dedit, nostris concedit, hoc solo argumento usus, quia harum genus familiare esse antea negarit [16]! Ego vero, ut paucis comprehendam quod sentio, librum, cujus fides plano et incorrupto testium consensu nitatur, ita tantum damnari posse arbitror, ubi aut historiam eo modo violet, cui nihil excusationis ab ignorantia vel errore pateat, aut ab ejus, quo referatur, vitae condicione et moribus placitisve, quae aliunde norimus, abhorreat, aut clara servilis imitationis vel inanis lusus vestigia exhibeat; orationi autem totique dicendi generi illud solum tribuo, quod vel inter historicas rationes numeres, ut si evinci possit sermonis conformationem ad alius scriptoris aetatisve morem propius accedere, illuc transferas, sin insolito tantum ac singulari verborum constructionumve usu offendaris, his quoque interdum eum, quem testes scriptorem tradant, uti potuisse discas, non ut eripias quae postquam eripueris ubi potius ponas non invenias. Neque enim quicquam magis vel in Anglorum vel in Zumptii disputationibus indigne fero, quam quod hoc tantum egerunt, ut nonnulla vocabula vocabulorumve comprehensiones a Ciceronis consuetudine recedere docerent, illud vero prorsus obliviscerentur, eadem tamen ab aliquo homine scripta esse, qui si a Ciceroniani sermonis usu adeo alienus fuit, ut ex illorum reprehensione colligas, mirum fuerit nisi suae maxime aetatis consuetudinem secutus sit; atqui id ipsum vel maxime desidero, in quo mea sententia ipsum disputationis cardinem ponere debebant, ut ea quae Ciceronem scribere potuisse negant, alii potius aut homini aut aetati convenire demonstrarent [17]; quod nisi fecerint, non video cur id quod

---

16) P. 35: *ac quam in his epistolis dicendi genus non sit familiare, jam supra dictum est.* Nimirum p. 12: *non enim tales sunt omnes hae epistolae, quales multae Ciceronis ad Atticum, in quibus si quid est obscurius dictum et significatum magis quam explicatum, excusamus facile; sed hae epistolae summa cura et elegantia, ea quidem quae videatur esse, non sit, elaboratae si quid tale habent merito offensionem movent;* quae quum primum legissem, fateor me aliquantisper dubitasse, num de iisdem libris uterque nostrum disputaret. Familiarium certe epistolarum plurimae longe majorem diligentiam quam nostrae prae se ferunt; ubi tamen nihilo minus XIII. 10 id ipsum, de quo illic argutatur, *petitio* sine honoris additamento legitur.

17) Verissime Hitzigius meus Begriff der Kritik, Heid. 1831. 8, p. 1: *die Kritik ist nicht allein negativ, sie ist wesentlich positiv;* cf. Deutsche Jahrbb. 1841, p. 431: *der Zweifel ist ein moderner Hercules, wenn er sich Gründe anzugeben und an der Stelle des kritisch zerstörten Gebäudes ein fester begründetes aufzuführen weiss — ohne diese Fähigkeit bleibt er ein Zwerg, der einem Gedankenabortus sein Daseyn verdankt, in Eigensinn und Muthlosigkeit seine Umgebung zu ärgern und zu necken sucht, ihr aber nichts anhaben kann und desshalb in eigener Ueberreiztheit verkommt.*

ab aliquo scriptum esse necesse sit, ab eo abjudicemus, cui unanimi testium consensu tribuatur. Sic ut iis utar, quae justissimam criminandi materiam dederunt, *eo* pro *ibi* dictum, *ea cum* pro *cum ea*, *quatefeci*, praeter nostras epistolas nusquam legi facile largior, neque ea aliter exemplorum quorundam similitudine tueri conatus sum, nisi ut indolem sermonis latini iis non repugnare ostenderem; at si nusquam praeterea apparent, eodem jure et argenteae et aereae et ferreae aetatis scriptorem excludas, quarum cuicunque tribueris, idem scrupulus redibit, ut nullum auctorem inter aequales habeas. Immo si quid video, omnium harum deteriorum latinitatis aetatum ea ingenia sunt, ut quibuscunque vel virtutibus vel vitiis ab aurea distinguantur, ea ejusdem aetatis generisve scriptores multo magis inter se communia habeant neque adeo difficulter ex uno de aliis conjectura fiat; si quid igitur re vera unicum omnisque posteritatis judicio rejectum et exclusum occurrerit, plurimum excusationis habebit in aureae aetatis homine, quae etsi summo studio enitebatur, ut cultum atque eruditum sermonem certis limitibus comprehenderet, urbanorumque hominum consuetudinem a plebeja licentia ad certarum legum constantiam dirigeret, nondum tamen ex quotidianae loquelae communione in scholarum umbras recesserat, unde epistolae eodem quo orationes artiumque libri stilo conscriptae prodirent, nec si naevos illos ad rusticitatem sermonis referri patior, huic ipsi in declamatore potius locum invenio, quem in grammaticorum rhetorumque disciplina a talibus maxime deterreri consentaneum fuerit, quam in eo homine, qui ipse epistolas *plebejo sermone* et *verbis quotidianis texi* professus est [18]). Atque haec negligentia est, quam in superiore libello epistolarum sermonem interdum cum antiqua comoedia communem habere dixi, quod quum apud peritos exemplis indigere non putassem, quoniam sine his Zumptius credere se negavit, nonnulla de medio arrepta in margine subjeci [19]);

---

18) Famil. IX. 21.

19) Cf. Att. XIII. 38: *hoc quicquam pote impurius*, quod in reliquis libris non legas praeter Brut. c. 46, ubi aniculae tribuitur, apud comicos autem identidem usurpari ne Zumptius quidem exemplis probari volet; eademque causa est verbi *potest* pro *fieri potest*, quod ut in reliquis omnibus libris rarissime (cf. Acad. I. 7 et II. 38, ubi tamen perperam Goerenzius Tuscul. I. 31 et Offic. III. 9 comparavit) ita in epistolis frequentissime habetur, cf. Att. V. 17, VI. 8, X. 4, XI. 7, XIV. 15, XV. 1, Fam. I. 2 etc. Item *quum maxime* in protasi pervelim scire num praeter Verrinas, quas nec ipsas magis quam Roscianam a plebeji sermonis contagione prorsus immunes dixerim, usquam nisi in epistolis legatur, cf. Fam. I. 5, Att. II. 15; idem vero comoediae convenire docet Plauti Amphitr. I. 1. 44: *quum pugnabant maxume, ego fugiebam maxume;* nec si de hoc ambigi possit, dubium erit de synonymo ejus *commodum* sive *commodo*, de quo cf. Plaut. Amph. II. 2. 37, Cas. III. 4. 3, Mil. IV. 4. 61, Terent. Phorm. IV. 3. 9,

idem tamen nec si quid vel comicorum auctoritate careat, ideo statim Cicerone indignum habebo, velut *noctuabundus* Att. XII. 1 vel *quotena jugera* ibid. XII. 33, in quae prorsus idem cadit, quod ille satis admirabiliter p. 13: *nec id*, inquit, *quod posterior omnis latinitas sprevit, apud Ciceronem ferri posse intelligo*, quasi vero ad *alterum post Christum saeculum* descendendum sit ut existimemus, quantum Ciceroni in epistola familiari ex sui temporis consuetudine recipere licuerit [20]). Quanquam ne huic quidem judicio satis constat; quem nullo magis nomine vindicias meas impugnare dixi, quam quod iis, quorum in ceteris Ciceronis libris exempla non suppetebant, ex posteriore latinitate subsidia petivi; quo tamen ipso fastidio si quis ad epistolas ad Atticum accesserit, vereor ne vix unum librum inveniat, quem non eodem crimine ad argenteae aetatis declamatorem Frontonisve adeo et Apuleji aequalem deprimere cogatur [21]); neu quis talia ex Attici solius familiaritate explicanda ducat, ex ceteris etiam, quae sub idem cum nostris tempus datae sunt, haec comparet: Fam. X. 10: *in uno proelio omnis*

Charis. II. 14. 37, et vicissim Cic. ad Att. II. 12, VII. 2, X. 16, XIII. 30 etc. Ejusdem generis est *habere* pro *habitare* Att. I. 16, *etiamdum* Att. XIII. 31, *vixdum* Att. IX. 2, Fam. XII. 4, *illim* et *istim* Att. VII. 13, Fam. VI. 20; *opus fuit Hirtio convento* Att. X. 4, quae constructio alibi impersonaliter tantum usurpatur, sed ita etiam Plaut. Curc. II. 3. 23: *celeriter mihi hoc homine convento est opus*; tum *palpari*, quod praeter Pollionis epistolam Fam. X. 33 apud Ciceronem semel tantum legitur Att. IX. 9, at idem apud Plautum Amph. I. 3. 9 et Mercat. I. 2. 55; *amo te* in gratiarum actione, ut Terent. Adelph. V. 8. 23, ita Cic. Att. I. 3, Fam. XIV. 2; *diecula* Att. V. 21 ad exemplum Plauti Pseudol. I. 5. 88 vel Terentii Andr. IV. 2. 27; *edolare* Att. XIII. 47, quod praeterea ex Nonii tantum exemplis notum est; *utut erit*, Att. XV. 25, frustra repugnante Krebsio Antibarb. p. 791 etc.

20) Alia verba prorsus singularia sunt *petiturire* Att. I. 14, *tagax* VI. 3, *pacificatio* VII. 8 et IX. 19, *obviamitio* XI. 16; constructiones inusitatas quasque Zumptius soloecas dicere non dubitet, habes *apud matrem recte est* I. 7, *spes mutandarum rerum* pro *fore ut res mutentur* III. 7; *post illas datas literas* IV. 2; *apud Lentulum ponam te in gratiam* V. 3; *hae mihi literae jubent* IX. 13; *avide affectus sum de fano* XII. 41; *quod valde mihi arriserat* XIII. 21; *foras dare librum* XIII. 22; *insulsitas villae* XIII. 29; *hoc vero neminem unquam audivi* XV. 11 etc.

21) Ex hoc genere sunt *recolligi* I. 5; *neque adhuc stabat* scil. *sententia* III. 14, ut Fam. IX. 2 et Cornel. Att. c. 25, unde familiari sermoni proprium intelliges, eodem tamen poëtae identidem utuntur; *ut qui jam intelligebamus* IV. 16, ubi Ciceronis consuetudo conjunctivum flagitabat; *invicem* V. 10, quod non est cur eam Handio T. III, p. 452 corrigamus; *victrices literae* V. 21, ut *victor currus* pro *triumphali* Ovid. Trist. IV. 2. 47; *obiratio* VI. 3, cujus ne argentea quidem aetas exemplum praeter verbum *obirasci* exhibet; *densae dexterae* VII. 1, et *vincire praesidiis* VII. 18, quorum utrumque poëticum potius sermonem referre dixeris; *regustare* XIII. 13 et 48; *dies meus* scil. *natalis*, ut Martial. IV. 1: *Caesaris alma dies*; *multijuges literae* XIV. 9, quas apud Apulejum potius exspectes; *habet Tiro instar septuaginta* XVI. 5; pro *circiter* Varronis et Columellae more; *muginari* XVI. 12, quod ne Plinius quidem nisi ex Varrone nosse videtur etc.

fortuna rei publicae disceptat, quod prorsus singulariter dictum esse pro *disceptatur* nemo negabit; ibid. 25 *navitatem,* quam nunc ne apud Arnobium quidem amplius tolerant; XI. 12 *inermos,* quo etiam Lepidus utitur X. 34, extra epistolam vero ii tantum usurpant, quorum nos oratione Zumptius p. 23 in Cicerone explicando uti posse negat; ibid. 27 *assessio,* unico ut videtur exemplo; XII. 6: *Brutus enim Mutinae vix jam sustinebat* omisso *se*, cujus unum praeterea idque ambiguum exemplum succurrit Caes. B. Gall. II. 6; ibid. 25: *neque enim statuti quid in tanta perturbatione habere potuisti,* quibus praeter alias epistolas Att. XII. 9 et Fam. IV. 2 nihil apud Ciceronem geminum est; ibid. 30: *o hominem semper mihi aptum,* Ovidiano scilicet dicendi genere A. A. I. 44 etc. Quantum denique etiam sollicitudinibus illis tribuendum sit, quibus Ciceronem extremis vitae temporibus impeditum esse dixi, quo minus solitae diligentiae usquequaque constaret, vel extra epistolas ii quoque libri docent, quos inter ipsa harum turbarum principia de Officiis ad Marcum filium perscripsit; quos etsi non ut epistolas uni homini, sed praeter filium etiam aliis legendos destinavit, limam tamen pro tanti argumenti gravitate non minus quam in nostris epistolis desideres, neque adeo in singulis usitata omnia exemplisque aut aliorum aut certe Ciceronis tuta invenias; eorum autem, quae Zumptius illic tantum non spiculis sectatur, antithetorum, amplificationum, repetitionum cum ipsa sententiarum laxitate et negligentia conjunctarum tantam copiam velut manibus prehendas, ut si quid ejusmodi in nostris quoque epistolis offendas, nihil causae sit, cur declamatoriae potius ostentationi quam facundissimi ingenii profluentiae tribuas, quae mole sua ruens inter armorum civilium strepitum justo temperamento subigi non potuerit 22).

---

22) Insigne judicium est de Officiorum libris hominis acutissimi Stürenburgii in secundis curis ad orat. pro Archia, Lips. 1839. 8, p. xv: *in keinem Werke Ciceros zeigt sich bei aller Würde der Darstellung eine so populär gehaltene Sprache, in keinem stossen so viele mehr oder minder fühlbare logische Mängel der Redeweise auf, in keinem vermisst man so sehr alles Streben nach Eleganz des Ausdrucks, in keinem tritt eine solche Neigung hervor durch Wiederholung der Hauptmomente allen so recht deutlich zu werden, in keinem endlich ist so wenig Aengstlichkeit in der Anknüpfung der einzelnen Materien sichtbar, als in den Büchern über die Pflichten;* quibus verbis ut ille priorem suam vanitatem, qua eosdem libros temere recensuerat, retractavit, ita sperandum est fore ut Zumptius quoque aliquando a nostrarum epistolarum insectatione resipiscat. Ex eo certe genere, quod in his reprehendit, etiam illic multum insoliti occurrit, ut I. 11 *movere bellum*, I. 23 *domesticae fortitudines;* I. 31 *affabilis* et II. 14 *affabilitas*, I. 38 *uteunque aderunt*, I. 41 *animadversores vitiorum;* II. 8 *ex transalpinis bellis triumphare*, II. 20: *utentior sane sit*, III. 20: *utrum ex homine se quis conferat in beluam*, III. 29 *quod autem affirmate promiseris* et *foeditas turpificati animi*, III. 33 *libidines consectatrices voluptatis* etc.

II.

Satis dictum arbitror ad probandum, quod primo loco posui, ne si de singulis quidem recte Zumptius disputasset, summam ideo disputationis ita concedi oportere, ut aut propter vocabula vocabulorumque constructiones minus usitatas aut propter sententiarum aliquam obscuritatem confusionemque de integri corporis auctoritate dubitemus; eandem tamen disputationem ubi accuratius examinaveris, nec illud temere a me dictum esse intelliges, non eum se Zumptium exhibuisse, cujus judicio vel minimum in hac quaestione tribui possit. Mitto cavillationes, in quibus is, qui meam εὐθυῤῥημοσύνην in Marklandum inhumanitatis arguere non erubuit, eo progressus est, ut interdum scurram agere quam serii hominis argumenta serio disceptare mallet [23]; nonnulla adeo ex iis, quae contra me dixit, subtiliter disputata esse concedo [24]; at ubi de Ciceronis sermone, de aureac

23) Sic p. 11 eam rationem, qua equidem Bruti verba de *praesentibus malis prohibendis* tutatus sum, ita impugnat, ut *Ciceronem admoneri* dicat, *ut pericula, quae fortasse in Gallia aut in Hispania sint, arceat ab urbe ipsa!* Nimirum *prohibere* est *procul* vel *porro habere;* quod etsi jam praesens adesse videtur malum, modo ita a me arceatur, ne me attingat, recte *prohiberi* dicitur; neque difficile erit ad decernendum, uter potius argutetur, ego, qui ex vulgari loquendi usu temporis et loci praesentiam distinguo, an Zumptius, qui ex nescio quibus philosophorum scholis *quod loco distet idem tempore distare* docet. Qui si logica subtilitate uti volebat, multo aptiorem locum invenisset p. 14, ubi id quod Nitzschio auctore de comparativi usu in contrariis notionibus dirimendis dixi, ita non refutat sed irridet, ut eadem lege dici potuisse jactet: *Romanis magis probabatur Caesaris victoria quam Pompeji* scil. *fuga*, quasi *victoria* et *fuga* eadem ratione qua *severitas* et *elementia* inter se contrariae essent! Nimirum hae sunt notiones relativae, quae, ut Platonis verbo utar, τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον recipiunt, unde fit, ut etiam clementia pro minore severitate, et severitas pro minore clementia haberi possit; quod si exemplis opus erat in re proclivi, talia conveniebant: *Caji pulchritudo* vel *sapientia mihi magis probatur quam Titi*, unde neutiquam sequitur, ut Titus et ipse pulcher vel sapiens habeatur. Major etiam cavillatio est p. 15, ubi Ciceronis verba, qui Lepidum *terra marique bellum gerere* scripsit, eodem loco censet, ac si liberae rei publicae cives *pro rege et patria pugnare* dicantur! Itane vero? num rex et patria ita inter se excludunt, ut conjuncta omne pugnae genus quod cogitari possit comprehendant? Accedit ut is, qui regem non habeat, pro hoc pugnare non possit; cui quid simile in Lepido, cujus provinciae plurimum orae maritimae complectebantur? nec si maxime maritimo bello abstinebat, formula illa plus offensionis habere poterat quam qua Cicero Offic. III. 33 de philosophorum disputationibus utitur, ubi *viris equisque decertandum* esse ait! Sed quid facias homine, qui adversarium suum adeo parvi pendit, ut ei persuadere conetur p. 16, Ciceronem ideo dicere non potuisse: *calefeci Antonium*, quia id idem foret ac *effeci ne Antonius frigesceret?* Scilicet quae non calent, ideo statim frigent, quodque Cicero ad Atticum scribit VII. 20: *etsi te istic jam calere puto*, hunc antea frigore laborasse significat!

24) Sic p. 10 postquam concessit dici posse *ob ejusdem mortem deterritus*, recte monet me omisisse quaerere, num illud Antonio conveniret; quod etsi tum interpreti relinquebam, cujus judicium ipsis scriptoris verbis regi debere arbitrabar, nunc tamen provocatus ita suppleo, ut in Caesaris morte causam

aetatis consuetudine, de scriptorum explicatione agitur, quicquid Tunstallis vel Marklandis exprobrari potest, ille adeo superavit, ut fatear me aliquantisper haesisse, ne doctis lectoribus injuriam facerem, si longa oratione refellerem, quae quivis eorum primo aspectu perperam et contra omnem rei veritatem dicta esse intelligeret. Verum enim vero quoniam haec et tironibus scribuntur, quos insigni exemplo ab arrogantia et festinatione judicii deterreri deceat, et ipsa harum epistolarum historia vel inter eruditos esse docet, qui aliena confidentia velut ipsam sibi oculorum aciem praestringi patiantur, hanc saltem mihi veniam dari volo, ut singulis Zumptii commentis non jam meam aliquam ratiocinationem, quam is scilicet intelligere se neget [25]), sed qualia ipse flagitat exempla aut

---

esse potuisse dicam, quapropter Antonius a regno appetendo abstineret. P. 13 facile concedo Titinii exemplum non sufficere ad eum usum tuendum, quo illic *eo* pro *ibi* usurpatur; nec tamen solo illo in vindiciis usus sum, quamque ejusdem generis confusionem notavi in *ubi* pro *quo*, Zumptii interpunctio non tollit; quem si maxime sequemur scribendo: *ne longius discedamus* ... *sed ubi? nondum statui*, manet significatio loci *quo* discessurus sit; sive cum illo supplere libet *manebo*, eodem artificio nostrum *eo* suppleto *loco* omni difficultate liberabimus. Eadem causa est p. 14, ubi Plinii exemplum facile abjicio; rem ipsam tamen etiam nunc tueor, ut *tantus vir ut es tu* ad talium locorum similitudinem explicetur, quales sunt Att. VII. 2 *adolescentem ut nosti*, vel IX, 7: *hominum humilium ut nos sumus*, i. e. *quales*, unde simul apparet etiam in eo exemplo, quo tum usus sum: *quod si, ut es, cessabis*, meam interpretationem, qua *cessator* supplevi, certe eodem jure niti, quo Zumptius *ut es* pro *qua natura*, *quo ingenio es* dictum esse vult. Illud quoque patiar, eorum exemplorum, ubi *edicta* pro uno dici statui, non eam vim esse, ut pluralem numerum singularis locum tenere evincant; nihilo tamen minus idem, quod *legibus* quum alii tum Mommsenius de coll. Rom. p. 43 vindicavit, *edictis* conveniet, ut quum singula pluribus capitibus continerentur, id ipsum promiscuum pluralis usum permiserit.

25) Hoc enim artificio contra vindicias meas identidem utitur, cujus rei in utro nostrum major culpa posita sit, doctioribus dijudicandum relinquo; ne tamen quicquam eorum, quae vel tironibus perspicua esse cupio, obscurum maneat, ad ea, quae Zumptius se intelligere negavit, pauca addam. P. 8 in verbis: *judicium suum, quod tanta firmitate et magnitudine direxit*, non intelligit quid sit quod ego *magnitudinem* ad objectum referendam esse dixi; ablativum illum pro natura sua nec ad subjectum nec ad objectum, sed ad verbum *dirigendi* pertinere ait. Ego vero hoc dico: ablativum qualitatis ad verbum pertinere omnino non posse; quod si latine dicitur: *vir eximia pulchritudine pueros secum duxit*, ablativus aut ad subjectum aut ad objectum referendus erit; eadem vero ratio manet, ubi alterutri horum pronomen substituitur, ut subjecto Att. XIV. 1: *ille tali ingenio exitum non reperiebat;* neque quicquam causae est, cur non eodem jure, quo Cicero Tusc. V. 21 Dionysium ait *pueros eximia forma ad mensam consistere jussisse*, inversa constructione dicamus: *pueri, quos eximia forma ad mensam consistere jussit.* Item p. 15 non videt qua ratione Thucydidis verba: τὸ πένεσθαι οὐχ ὁμολογεῖν τινι αἰσχρόν, ἀλλὰ μὴ διαφεύγειν ἔργῳ αἴσχιον, ad eum comparativi usum pertineant, de quo modo nota 23 iterum disserui; quam qui recte intellexerit, illic quoque videbit praeter exspectationem majorem turpitudinem non cum minore sed cum ea re comparari, quam omnino turpem esse negetur. Mitto alia, ut quod p. 17 non satis intelligit, quomodo officia, quae quis coactus praestet, omni vi meritoque careant; at hoc tacitus praeterire

certe argumenta ex ipso sententiarum nexu petita opponam, quod ubi per totum libellum ordine factum erit, penes ipsos lectores judicium esto, quantum ei fidei tribuendum censeant, quem paene singulis paginis summae temeritatis manifestum teneamus. Sic p. 5 in Virgilii verbis Aen. X. 857: *quanquam vis alto vulnere tardet,* minus recte me fecisse ait qui *tardet* intransitive dictum statuerim, quod si peccatum est, cum intelligentissimo poëtae interprete Wagnero commune habeo [26]); illud doceri cupiam, quam tandem *vim* iste esse credat, quae, ut ipse explicat, *Mezentium tardet?* Utrum cum Heynio *vim* pro *virium defectu* an cum Servio pro *alti vulneris violentia* accipit? quorum utrumvis fecerit, videat ne iisdem cavillationibus locum det, quibus tam saepe contra me usus est; an *Aeneae vim* intelligit, qua Mezentius tot ante versibus 780 sqq. vulneratus est? quo quis putet elegantissimum poëtam auditores sine additamento remisisse? quid igitur restat nisi ut ipsam hominis vim, qua se attollere conatur, *vulnere tardari* dicamus, ut Ovidius Metam. X. 49 *passum de vulnere tardum?* Sed haec quoque fortasse subtiliora; quo autem ore p. 6 *tardare et commorari* recte jungi negat, quia *commorari* apud omnes bonos scriptores nihil significet nisi *versari in aliquo loco,* mora nisi addito *diutius* intelligi non possit? Male igitur ipse Cicero pro Roscio Com. 16: *ipsa mihi veritas manum injecit et paulisper consistere et commorari cogit;* Orat. II. 72: *ibi commorer, ibi habitem, ibi haeream;* [illegible]t. c. 40: *et haereat in eadem commoreturque sententia;* denique qui omnium si[illegible]imus nostri locus est, Fam. II. 17: *commoraturum me nusquam sane arbitror,* ubi [illegible] nostrum interpretem sequeremur, Cicero se ullo loco fore negaret! Item p. 7 m[illegible]pere errat, qui Bruti verba: *vide quanto diligentius homines metuant*

non possum, qu[illegible]p. 25 cavillatur, eodem jure quo equidem *verum dicendi genus* per *justae eloquentiae* comparationem de[illegible]di, in origine et genere hominis describendo *aedes* pro *domo* substitui licere! At enim haec est m[illegible]phora, qua non tam notio rei, quam externa species respicitur, quam sensibus et phantasiae praeb[illegible] *justa* autem eloquentia propter ipsam justitiae notionem dicitur, cui hoc eloquentiae genus responde[illegible] quam si tot exempla docent cum *veritatis* notione arctissime conjunctam esse, nihil impedit, quomi[illegible] hanc quoque cum eloquentia eodem pacto communicet, quo Plato in Phaedone *animam* secum simul [illegible] afferre ostendit.

26) N[illegible] duplicitor me peccasse Zumptius insimulat, et quod Virgilii locum ad Ciceronem illustran[illegible]erim, et quod *intransitive* dictum dixerim, quod ne huic quidem concedit, sed omnino negat verba transitiva, si quando accusativo careant, continuo intransitiva appellanda esse. Non urgebo, quod multos censere scio, ipsorum transitivorum primariam vim intransitivam fuisse videri; at hoc merito quaero, quo jure mihi idem exprobret, quod ipse sibi indulsit p. 24, ubi vel ejus quod est *movere* activum *nonnunquam intransitive* poni ait!

quam meminerint, ita interpretatur, ut *diligentius metuere* idem sit quod *magis metuere!* Universe enim loquitur Brutus, diligentiores homines esse in metuendo quam in recordando, quod deinde hoc exemplo confirmat, quia praesentem Antonium metuant, praeteritorum Bruti beneficiorum obliviscantur; tantum igitur abest, ut *diligenter*, quod ille fecit, cum *valde* vel *vehementer* comparari possit, ut locum suum egregie tueatur, nec quod p. 8 *diligentiam* metui ut *cautionem* convenire negavit, justis argumentis comprobavit. Scilicet *feliciter* rem geri posse, *beate* non posse; non igitur synonyma promiscue mutari debere; quod verissimum est; at opinor cum felicitate non semper beatitudo conjuncta est, cum cautione autem semper diligentia; quod si *cautum timorem* Ovidio concesseris, Bruto etiam diligentiam in metuendo relinquas [27]. Eadem pagina *magnam eloquentiam* vel *sapientiam* dici concedit, *magnitudinem* iisdem tribui negat; non igitur meminit Quintiliani XII. 10. 64: *sed summam aggressus in Ulyxe facundiam magnitudinem illi junxit.* P. 9 deterioris latinitatis notam deprehendere sibi videtur, ubi Brutus fortitudinem, quam jam demonstravit Cicero, sine constantia *nullam* esse dicit; dicendum enim fuisse *nihili*, *nullius pretii*, vel *perire*, *perituram* vel aliquid simile; at hoc ipso sensu Quintus Cicero de petitione c. 7: *in petitione autem nisi id agas et cum multis et diligenter, nullus petitor esse videare,* neque aliter ipse Marcus Fam. VII. 3: *ex eo tempore vir ille summus nullus imperator fuit.* P. 11 apud Juvenalem VII. 27, quem consilium pro eventu posuisse dixi, vere et proprie hoc scribentis consilium fuisse ait, ut dignus judicaretur hedera et imagine; ubi si vel proxime sequentia respexisset:

spes nulla ulterior; didicit jam dives avarus
tantum admirari, tantum laudare disertos,

facile intellexisset id ipsum poëtam queri, quod praeter inania illa praemia nihil amplius diserti assequantur; quem igitur nihil ultra sperare jubet, ejus aliud in scribendo consilium fuerit necesse est, nimirum pecuniae quaerendae, quo in argumento tota illa satira versatur [28]. P. 12 ex more magis argenteae quam

---

27) Negat ille quidem etiam hoc, ex iis locis, quos attulerim, sequi, ut diligentia in cavendo posita sit, sed cautionem potius in diligentia cerni ait; quorum quem invenire non potuit, erat ad Qu. fr. I. 2. 13: *quae ad te aliqua admonitione aut objurgatione scripsi, scripsi propter diligentiam cautionis meae;* sed etiam ubi *diligens cautio* et *diligenter cavere* legitur, eadem causa manet, ut si *vitam beatam* et *beate vivere* dico, non vita in beatitudine, sed beatitudo in vita posita est.

28) Alterum exemplum, quo usus sum, Sest. c. 32, ne dignum quidem refutatione habuit, facillimo pugnae genere, quo identidem utitur, ut qui nihil nisi exempla flagitat, eadem ubi allata sint, pro

Ciceronianae latinitatis scribi ait *Veterem Antistium*; at ita ipse Cicero ad Qu. fr. II. 1! Ibidem et meam et Bruti sententiam prorsus pervertit, quum hujus verba: *Domitius in sua epistola celebrabitur*, ita me exposuisse narret: *Domitium non esse commendandum hac Bruti epistola; ipsum illum scripturum esse ad Ciceronem seque commendaturum!* Immo Brutus peculiarem Domitio epistolam ad Ciceronem perferendam daturus erat, in qua illius laudes praedicaret. P. 13 Ciceronis verba *meum quidem animum in acie esse* cum Middletone interpretari perseverat *in aciem et bellum gerendum intentum esse*, cujus usus vellem, ut ipsius voce utar, exempla attulisset, multo certe plura sunt meae interpretationis pro *in acie esse*, quae quod ille *pauca certaque dicendi genera esse ait*, *in foro et in curia usitata*, ego vero doceri velim, quid cum foro aut curia commune habeat *aes alienum contractum in popinam* Catil. II. 2, ut mittam trita illa *in mentem*, *in honorem*, *in conspectum*, *in memoriam*, quorum Ciceronianis exemplis careo, quanquam in hoc ipso dicendi genere Gellius vel Plautum *verborum latinorum elegantissimum* dicere non dubitavit. P. 14: *quis*, inquit, ferret Ciceronem deductum esse *cum* multitudine in Capitolium? *immo ipsa multitudo deduxit*; at tulerunt omnes ad hunc diem porroque ferent Att. I. 16. 5: *ad me autem eadem frequentia postridie convenit*, *qua cum abiens consulatu sum domum reductus*. P. 15 molestum ei est *egisse ut insectarer Antonios*, pro quo, inquit, esse oportet *fecisse*; *agere* enim est *consilium habere ut*, a qua sententia longe hic locus abest; at eodem modo Cicero ad Qu. fr. I. 3. 6: *quae si queri velim praeterita*, *nihil agam*, *nisi ut augeam dolorem tuum*, ubi eadem elegantia qua *facere* ad explicandam orationem translatum est. P. 16 afferri sibi jubet verbum *tertiae conjugationis* compositum cum verbo *faciendi*; omnia enim quae nota sint *secundae* esse, unde igitur *labefacere*, *expergefacere*, *tremefacere*? nec consideratius ibidem *inchoativorum simplicia poëtis fere relinqui*, *sola composita cum praepositionibus a bonis scriptoribus usurpari* ait, qua lege videat ne ipsum suum Ciceronem *bonorum* numero excludat, qui identidem et *calesco* et *hebesco* et *mitesco* et *lucesco* sine ulla religione dixit. P. 17 quaerit, quis unquam latine *indolem* dixerit pro *bona* aut *praeclara indole*? at, opinor, latinitatem satis tuebitur Quintilianus XII. 6. 3: *si qua sunt dicta juveniliter*, *pro indole accipiuntur*; nec quod prorsus universe Servius ait ad Aen. X. 826: *indoles autem est proprie*

---

arbitrio *parum apta* nuncupet; at quaeso, quomodo ei, qui Liguris cognomen sibi ex Aeliorum imaginibus arripuit, *consilium esse poterat*, ut magis nationis Ligur quam Aeliorum gentilis videretur?

imago quaedam virtutis futurae, ad ipsius Ciceronis locum referre dubites Verr. III. 68: *fac enim fuisse in eo C. Laelii aut M. Catonis materiam et indolem.* P. 22 in ipso epistolae quintae decimae principio ita cavillatur, ut Ciceronem neget scribere potuisse: *habes Messalam*; haberi enim hominem nisi forte sit servus non posse; quo eodem nomine reprehendi possit Fam. VII. 5: *totum denique hominem tibi trado de manu, ut ajunt, in manum istam*, et sicubi praeterea *tradere* de commendatione usurpatur, ut quia *tradere in servitutem* dicitur Prov. Cons. 5, ipsa illa vox praeter servos locum habere non videatur! Atqui quem alicui tradidi eum is cui tradidi habet; quod si Messala hac ipsa epistola Bruto a Cicerone commendatus est, non video cur non ille eum *habere* possit, neque adeo opus est, ut ad hoc exemplorum genus quamvis finitimum redeamus, ut Fam. IX. 22: *habes scholam Stoicam*, vel Att. I. 16. 6: *habes ut brevissime potui genus judicii et absolutionis.* Quanquam haec quoque ratiocinatio esto; at quo nomine illud appellabimus, quod Zumptius p. 23 *expediendi* verbum *enarrandi* vel *explicandi* potestate a Ciceronis et bonorum latinitatis auctorum usu alienum esse arbitratur? *Expediuntur*, inquit, *negotia, quibus impediti sumus, res explicantur*; quid igitur? id quod Epicurei disserunt, quod ipsum eos Cicero Fin. I. 19 *remotis sensibus expedire posse* negat, utrum negotia quibus impediuntur, an res habendae sunt, quas explicare student? Mitto p. 24, ubi quod *plus* pro *magis* positum soloecismum fore ait, facile concedo, eundem tamen ne a Cicerone quidem alienum esse, et patruo suo credat ad Verr. II. 7, et Heusingero ad Off. III. 23, et ipsi Ciceroni ad Att. VI. 8: *pedem porta non plus extulit quam domo sua*; mitto etiam ipsius ratiocinationem de vi *veri* transitiva et intransitiva, quam appellat, cui ipse videat quomodo conveniat locus ad Att. II. 1. 8: *quid verius, quam in judicium venire, qui ob rem judicandam pecuniam acceperit*; sed illud satis mirari non possum, quod p. 25 *tantumque evigilat in studio* sine pronomine *suo* recte dictum esse negat. Eloquentiae enim studium dici ex antecedentibus satis apparet; quod si vel maxime concedam *studium* sic simpliciter positum ad eloquentiam referri non posse, praegressa hujus mentione non magis offendat, quam pro Rosc. Amer. c. 17: *verum ut opinor, quoniam ita Chrysogono videtur, qui huic nullum praedium reliquit, et artificium obliviscatur et studium deponat licebit*, ubi itidem nemo *suum studium* flagitabit, ut res rustica intelligatur, cujus illum studio incensum esse antea legitur. *Studium* enim, ut Cicero ait de Invent. I. 25, *est animi assidua et vehemens ad*

aliquam rem applicata occupatio; in hac igitur quidni *evigilare* dicatur, cujus voluntas aliunde nota est, etiam non addito pronomine, quo ne in ipso quidem eloquentiae studio Cicero utitur Orat. I. 6: *homines non solum ingenio et doctrina, sed etiam otio studioque abundantes,* ibidemque c. 61: *hisce ego cohortationibus ad studium et ad laborem incitandos juvenes vehementer assentior?* Sequuntur verba: *quem quum a me dimittens graviter ferrem*, ubi p. 26 *graecismum* deprehendit *non modo apud Ciceronem, sed apud omnes bonos latinitatis auctores non ferendum*, ut facile intelligas inter bonos auctores Virgilium non censeri, cujus verba: *sensit medios delapsus in hostes,* vix inter tirones unum esse arbitror qui ignoret; at quid ipso Cicerone facias, qui prorsus eodem exemplo Att. IV. 5: *senseram*, inquit, *noram inductus, relictus, projectus ab iis;* neque aliter V. 1: *dissimulavi dolens?* Eadem confidentia p. 27 *inscitiam latinitatis* arguit in verbis: *ut Solonis dictum usurpem*, quo modo nec Ciceronem nec quenquam alium bonum scriptorem dicturum fuisse ait, nisi dictum aliquod velut *teri ore* vel ut pro Milone c. 7 et in Vatin. c. 11 est *crebro usurpari* vellet; at si hoc solum jam esset *usurpare*, adverbio *crebro* opus amplius non foret, eodemque modo quo nunc in confirmando per alienum dictum judicio *usurpandi* verbo utitur Cicero Att. VII. 2: *itaque usurpavi vetus illud Drusi;* Philipp. I. 1: *Graecum etiam verbum usurpavi;* ibid. II. 14: *usurpetque illud Cassianum;* Divin. II. 15: *illud vero etiam melius, quod et a te usurpatum est et dicitur ab illis* etc. Item p. 28 *alienum* apud Ciceronem ita poni vetat, ut non addatur a quo quid alienum sit; argentea demum latinitate ita dici coeptum esse; quonam igitur referemus Ciceronis de Officiis libros, ubi I. 34: *ac ne illud quidem alienum est*, itemque c. 41: *nec vero alienum est ad ea eligenda, quae dubitationem afferunt, adhibere doctos homines?* Paulo subtiliora illa sunt quibus p. 38 negat ut caritatem patriae in animo, ita *animum in patriae caritate infixum esse* posse, vel p. 32 reprehendit, quod Cicero se *in medio cursu Achaico in Italiam relatum esse* scribit, ubi facile concedas potius *ex* ut Offic. III. 33 vel *de* ut Fam. X. 1 exspectari potuisse; reprehendendi tamen non majores causas habet quam p. 29, ubi Antonium et Lepidum non *pacem* sed *pacis metuentes* fuisse vult, aut p. 27, ubi *qua epistola* in *in qua*, aut superius p. 9, ubi *exstat* in *constat* mutari jussit. Nimirum eadem saepe res duobus modis declarari potest, qui quamvis raro prorsus idem significent, tamen optione data non eum praeferri oportet, qui nobis aut usitatior aut aptior videatur, sed ita potius statuendum est, utro scripto-

rum usum esse constet, eum illi aptissimum visum esse [29]; nec si Cicero pro Murena c. 35 aliquem *remotum a culpa* dixit, minus ideo toleres Fam. XII. 28 *culpam a quibusdam afuisse*, aut si plerumque dicitur *hortari aliquem ad aliquid*, perperam legitur Att. VII. 14 *equidem pacem hortari non desino*, aut si vulgaris sermo *spem in aliqua re habet*, Cicero peccavit, quum Att. XI. 19 se rem *ulla in spe habere* negaret. Sic illic quoque prorsus temere egit Zumptius, qui ut accusativum *pacem* reprehenderet, hoc pro arbitrio sumsit, *ea natura fuisse Antonium et Lepidum ut pacem ferre non possent*, Lepidum praesertim, quem paulo post p. 40 narrat *longissime a malis consiliis afuisse firmissimumque libertatis praesidium putatum esse*; neque in Bruti verbis: *nihil per se amplum est nisi in quo judicii ratio exstat*, tam nihil judicio et rationi tribui decebat, ut nisi constantiae vocabulo accedente per se rem amplam efficere non possent; quod autem *qua epistola* sine praepositione ferre noluit, ut ipsius voce utar, dupliciter minus recte fecisse videtur. Primum enim, si quid video, *qua* non ad participium *mihi multa tribuens* sed ad verbum finitum *unum reprehendebas* referendum est, eaque re ipsum quartae Bruti epistolae, quam Cicero respicit, argumentum continetur, ut inter multas hujus laudes unum ejus consilium de Octaviano promovendo gravissime vituperet; deinde vero, tametsi *non totam epistolam sed partem modo ejus Brutus Ciceronis laudibus consumpserat*, vel hoc respectu soli ablativo locus erat, si Cicero *consilium, cui tota epistola destinata esset*, in laudibus suis posuit, cf. Hand Turs. III, p. 271. Quanquam hic ea saltem aequitate Zumptius usus est, ut quod ipsi minus placeret corrigere quam in totius epistolae calumniam convertere mallet; quod si in illis quoque locis fecisset, quos p. 30 et 32 insectatur, certe magis sibi constitisset; praesertim quum mutationem particulae *in* in *de* adeo proclivem judicarit, ut in gemino loco N. D. I. 19, qui ipsius scilicet rationes turbavit, *infixam* in *defixam* convertere nullus dubitaret. Ego vero ne hoc quidem remedio opus esse arbitror; sed in priore exemplo

---

29) Verissime in simili causa nuper judicavit Doederlinus in M. G. A. 1845, p. 415: *Bei Tac. Ann. IV. 21 will H. Oelschläger den neutralen Gebrauch von augere nicht gelten lassen, und schlägt vor augescere, trotz des Vorganges von Cato und Sallust, welchen noch Catull beigefügt werden kann. Eben so wenig ist es von Bedeutung, dass Tacitus augere so oft im gewöhnlichen Sinne gebraucht. Johann Müller schreibt mit eben solcher Inconsequenz bald waffnen bald sich bewaffnen, und würde in grosse Verlegenheit gekommen seyn, wenn er jedesmal seine Gründe für das eine oder andere hätte anführen sollen. Wer von unsern Schriftstellern ist denn so consequent im Gebrauche der Wörter und Constructionen, wie unsere Kritik es den Alten in der Regel zumuthen pflegt?*

animum in patriae caritate infixum eodem jure habeo quo in loco ex libris de Natura deorum *mentem in imagines intentam infixamque,* quem locum cur epistolae nostrae dissimilem dicam, donec Zumptius negationem suam argumentis firmaverit, non intelligo; de altero vero ita judico, ut aliud esse statuam *e cursu* vel *de cursu revocari,* aliud *in medio cursu referri,* quorum utrum scriptoris consilium et ratio tulerit, nobis quoque ferendum esse arbitror. Nam qui illa forma utitur, revocatione se prohibitum esse narrat, ne cursum suum persequeretur; qui *in cursu* dicit, hoc ipsum urget, se jam in eo fuisse ut excurreret, quum sive revocatus sive adversis ventis relatus sit; eamque ipsam nunc Ciceronis mentem esse patet, non ut se rediisse sed ut se discedere voluisse nec tamen potuisse doceat. An haec quoque ratiocinatio potius est? modo recta et vera sit, toleranda quidem certe; ne tamen longius ab instituto aberrem, pergo ad p. 33, ubi Zumptius excusationem habere negat quod Cicero scribit se *ut Romam venerit statim se obtulisse Antonii sceleri et dementiae!* Scilicet hoc ita tantum ferri posse, ut statuamus M. Antonium jam antea Ciceroni iratum fuisse eumque quaesitum invenire non potuisse, dum se ipse offerret, sin quis ultro periculum suscipiat, id, pro quo quis se offerat, deesse non posse; quae qualis ratiocinatio habenda sit, alii videant; mihi nunc sufficiat exemplum contrarium Sest. c. 28 de Catone: *consule me, quum esset designatus tribunus plebis, obtulit in discrimen vitam suam* etc. Ibidem vituperat *consilia Brutina,* quae *Brutiana* esse oportere ex Vellejo et Lactantio colligit, nempe bonis, ut ipsi videtur, latinitatis testibus, quorum equidem auctoritati et L. Aelium Stilonem praefero, qui *Plautino* sermone Musas locuturas fuisse ait [30]), et M. Varronem, qui *Plautinas* fabulas a *Plautianis* hoc est Plautii fabulis accurate distinxit [31]), et ipsum Ciceronem in partes voco, quem vel Spaldingius in Wolfii Mus. antiqu. stud. p. 3 quamvis invitus orationem adversus Metellum non *Metellianam* sed *Metellinam* inscripsisse concessit [32]). Denique, pergit, vereor ut satis Ciceroni conveniat *vestri haec sunt propria sanguinis;* neque enim ita *sanguinem* dici, ut

30) Quintil. X. 1. 99.

31) Gell. III. 3: *in eodem libro Varronis* (de comoediis Plautinis, de quo praeclare nunc Ritschelius in Parergis) *id quoque scriptum est, Plautium fuisse quempiam scriptorem comoediarum, cujus quoniam fabulae Plauti inscriptae forent, acceptas esse Plautinas, quum non essent a Plauto Plautinae, sed a Plautio Plautianae.*

32) Cic. Att. I. 16; cf. omnino etiam Aug. Wissowae lectt. Tacitinae, spec. II, Vratisl. 1831. 4.

gentem et familiam significet, a scriptoribus quidem, nam poëtis licere notum esse; poëta igitur etiam Cicero, cujus haec verba sunt de Metello Nepote Sest. 62: *nec illam divinam gravitatem plenam antiquitatis diutius homo ejusdem sanguinis potuit sustinere* etc. Item p. 34 veretur ne parum latina sit *virtus quae se commoverit*; se quidem nescire quomodo *commovere* aliter dici possit nisi *in malam partem*, ut sit aut *labefactare*, aut *ad iram et indignationem incitare*, aut denique *terrorem injicere*; quod etsi ipse non urget, exempla tamen, quorum adeo cupidus est, benigne accipiet Acad. II. 16: *simulac se ipse commovit atque ad se revocavit*, Att. III. 14: *non commovi me adhuc Thessalonica* etc. Nec melius ipsi in historia successit, unde quae p. 36 cum Tunstallo communia habet, jam in iis quae contra hunc disputavi, satis refutata sunt; illud vero ne Tunstallus quidem in se admisit, quo Zumptius delapsus est, ut eum diem, quo Decimum Brutum liberatum esse nunciatum est, *laetissimum civitati illuxisse* negaret, quia *illam victoriam vesperi fere Romam nunciatam esse constet!* Mitto reliquam calumniam, qua ita disputat, quasi Cicero nuncium allatum diceret, quum dies illuxisset; cujus haec verba sunt: *ego enim, D. Bruto liberato, quum laetissimus ille civitati dies illuxisset*; sed illud tantum moneo, eam victoriam, quam vesperi nunciatam esse ex Philippica quarta decima colligitur, a. d. XVII Kal. Majas relatam esse, Brutum autem secundum Galbae epistolam Fam. X. 30 ne sexto quidem post hanc die obsidione liberum fuisse; unde facile intelligas doctum nostrum reprehensorem duas pugnas, quae apud Mutinam commissae sunt, confudisse alteriusque nuncium ad alteram quae septem minimum diebus post nunciari poterat transtulisse [33]. Quanquam hoc festinationi tribuas; in sequentibus autem, ubi Cicero *pontifices Larentiae ad aram in Velabro facere* scribit, *inscitiae documentum manifestissimum* — haec enim Zumptii verba sunt — uter ediderit, ipsius δευτέραις φροντίσι decernendum relinquo. Non urgebo inconstantiam, qua illud quidem concedit, sacrificari nisi ad aram non potuisse, idem tamen aram *quae proprie diceretur* Livernae fuisse negat; quod autem *pontifices* ait *toti religioni praeesse*, *sacrificare* negat, si imprudenter negatum dixero, cum Ovidio expostulet Fast. IV. 629 et VI. 106 [34]. Deinde ad sermonem rediens p. 40

---

33) Drumannus adeo T. I, p. 309 et III, p. 75 alterum proelium ante V Kal. Majas commissum negat, nec Abekenius Cicero in s. Briefen p. 416 ultra VII Kal. redire ausus est; ego cur IX Kal. tuear, dixi G. G. A. 1845, p. 971.

34) Omnino pontifices *sacerdotum* numero excludi vetat etiam Cicero Legg. II. 9, qui quod eos

quod Lepido statua decreta esse dicitur, ut *a furore revocaretur*, magis ab eo qui elegantem aliquam sententiam quaereret quam qui rei veritatem sequeretur profectum esse ait; neque enim *revocari a furore* posse, nisi qui jam quasi furiosus fuerit; mortuusne igitur fuerat Cicero, quum ad Qu. fr. I. 3. 2 *hac una se voce a morte revocatum* scriberet, *quod omnes in sua vita partem aliquam illius vitae repositam esse dicerent?* Item p. 41 vituperat verba *qui secundum fratrem affines habet quos oderit proximos*; scribendum enim fuisse *a fratre proximos*, quia latine non dicatur *prope sum secundum aliquem*; at dici *proxime secundum* geminus Plauti locus ostendit Capt. II. 1. 42: *nam secundum patrem tu es pater proximus*, neque Ciceronis illud alienum Offic. II. 3: *proxime autem et secundum deos homines hominibus maxime utiles esse possunt.* Nempe aliud est *proximus ab aliquo*, ubi primaria vis in superlativo cernitur, aliud *secundum aliquem proximus*, ubi hic ut alii superlativi ad propiorem tantum definitionem accedit, cf. Acad. II. 4: *Aristone et Dione quibus secundum fratrem plurimum tribuebat*; quod si Cicero scripsisset Lepidum *proximos a fratre habere quos oderit affines*, horum odium minimo intervallo a fratris odio distare dixisset; nunc autem secundum fratrem negat esse quorum odium propius ad illius odium accedat. Denique p. 43 bis ita lapsus est, ut nisi eum ad finem disputationis properasse statuas, excusationem vix invenias. Et primum quidem illud reprehendit, quod eadem in causa, qua Cicero ad Cassium scribit Fam. XII. 10: *praeclare viceramus, nisi fugientem Lepidus recepisset Antonium*, nunc ita loqui maluit: *pulcherrime viceramus, nisi Lepidus perdere omnia et perire cum suis concupivisset*, ubi quum ipsa orationis varietas prohibere videretur, ne imitationem argueret, eo confugit, ut Ciceronem nusquam *pulcher* et *pulcherrime* translata significatione usurpasse diceret nisi cum irrisione aliqua, negaretque inventum iri locum ullum, ubi Cicero serio loquens rem talem qualis victoria est *pulchram* dixisset. Nescio quousque *talis rei* significationem extendat; at nisi ipsum *vincendi* vocabulum urserit [35]), in promptu est Fam. I. 4: *quum in senatu pulcherrime staremus, quod*

---

omnibus divis sacerdotes assignat, nihil aliud dicit, nisi sacra publica, cuicunque deo pro populo fierent, ab illis curari certe potuisse; cf. Wöniger Sacralsystem p. 73: *so ergibt es sich leicht, dass ursprünglich die sacra pro populo zum Theil von den Pontifices zum Theil von den Flamines vollzogen sind*, quodque is addit: *die späteren sacra pro populo fielen den Flamines anheim*, illud tantum explicat, quomodo Gellius VI. 7 a Cicerone discrepans idem Lavernae sacrificium *flamini* Quirinali tribuat.

35) *Victoriae* enim *pulchrae* exempla nunc quidem ex Tacito Plinioque demum suppetunt; *facinus* tamen *pulcherrimum*, ut Sallustium mittam, jam Terentius dixit Phorm. V. 6. 29; utque hic *pulchre*

jam sententiam Bibuli de tribus legatis pridie ejus diei fregeramus; neque a translata significatione remota arbitror, quae habentur Divin. II. 15: *proxima hostia litatur saepe pulcherrime*, et N. D. II. 32: *omnia subjecta esse naturae et ab ea pulcherrime regi*, ut mittam Epicurei dei cogitationem ibid. I. 41: *mihi pulchre est, ego beatus sum*, quae etsi ex hujus mente serio dicta est, tamen a Cicerone cum irrisione conjuncta esse videatur. Deinde vero quid hoc est, quod negat latine dici *sum alicui odio?* quod ut efficiat, proclivi sane artificio utitur, ut sicubi sic legatur, ex arbitrio lectionem mutet, ut pro Murena c. 40, ubi in omnibus libris est: *si nemini, ut levissime dicam, odio nec domi nec militiae fuit*, ille *in odio* reponi jubet, quia sic sit ad Att. II. 21 et XIV. 1; utque furca expellat, tamen usque recurret ibid. III. 19: *quod et celebritas mihi odio est*, ut ne ad Virgilium quidem rediri opus sit, quem certe *latine* Zumptius scripsisse concedet Ecl. VIII. 33: *dumque tibi est odio mea fistula dumque capellae* 36).

III.

Hactenus de verbis, quae etsi non omnia, qualia quanta in his epistolis leguntur, geminis exemplis confirmari possint, hoc saltem plurima exemplorum copia demonstratum esse arbitror, quam fallax eorum judicium sit, qui sibi veteris sermonis consuetudinem ita callere videntur, ut hoc indicio libri alicujus existimationem regant 37); ne quis tamen id certe Zumptio successisse credat,

---

identidem sine ulla irrisione translatam usurpavit, ita ipsius Ciceronis aequalis et familiaris Sulpicius Fam. IV. 5: *vidimus*, inquit, *aliquoties secundam pulcherrime te ferre fortunam*. Sed haec obiter; neque enim ipsius Ciceronis loci desunt, qui vel fastidiosissimo satisfacere debeant.

36) Poteram etiam Titinii exemplo uti ex Gemina apud Nonium p. 406: *sin forma odio sum, tandem ut moribus placeam viro*; at quum ibi metrum transpositionem flagitare videatur: *sin odio sum forma* etc., corrigendi facultas relinquebatur adversario.

37) Facere non possum quin Madvigii quoque verba, quem ipse Zumptius *elegantissimum latinitatis judicem* appellat, ascribam ex Opuscc. I, p. 192, ubi de Catilinariae quartae obtrectatoribus agens, postquam *universum disputationis genus quam multa habeat futilia* monuit: *primum*, inquit, *ad eam accedunt homines ne ita quidem ab ipsius Ciceronis lectione instructi, ut quid sit in aliquo loco singulare nec alibi apud eum positum, non e solis lexicis judicent; deinde in uno aliquo libello notant et excerpunt singularia nec cogitant, quum praeter Ciceronis libros ex hac aetate pauci supersint et ex aliis scribendi generibus, quam multa necesse sit singularia, praesertim in oratore, esse, nec sciunt, si tam diligenter omnes Ciceronis libros pertractassent, in omnibus aeque singularia, in multis longe plura se reperturos fuisse; nec tenent, quo modo haec judicanda sint, ut quaeratur, quid, etsi exemplis non firmetur, tamen*

ut sententiarum nexum ac progressum Cicerone indignum demonstraret, hunc velut cumulum disputationi meae imponam, ut ipsam illam epistolam quintam decimam, quam ille confusione, obscuritate, verborum denique strepitu inani et ad ostentandam elegantiam inepte composito refertissimam dixit, non modo tanto crimine liberem, sed etiam ostendam in suo genere dignissimam esse, unde Ciceronis animum et consilia in gravissimo rei publicae tempore cognoscamus. Nam quod Zumptius hoc quoque reprehendit, quod in iis tantum quae gesta sint versetur, quae vero tum maxime gerantur taceat, id ipsum statim in limine epistolae ita explicatur, ut intelligamus eam a Messala perferri, quem Cicero omnia *quae gerantur quaeque sint in re publica* ita expositurum esse scribit, ut sua narratione opus non sit, eodem fere modo quo P. Lentulum Fam. I. 6 et 8 ea quae literis committere non audet ex Pollione aut M. Plaetorio accipere jubet, sibique illud solum servat, quod in ipsius judicio aut conjectura positum sit; quod tamen tantum abest ut aut illic aut hic in *quaestionibus otiosis ad honeste agendum pertinentibus* subsistat, ut ne oblatam quidem occasionem de praemii poenaeque modo in re publica universe disputandi arripiat, sed statim ad id aperiendum transeat, quid hoc bello in sententiis dicendis secutus sit; neque hujus excusationis aut exemplo caremus in nona ad eundem Lentulum epistola, ubi *etiam altius consiliorum suorum rationem repetit*, aut causa deerat in Bruto, quem Plutarchus quoque tradit honores a Cicerone in Octavianum delatos gravissime tulisse [38]). De Messala autem non est cur Appiano plus fidei habeamus

---

universo loquendi generi hujus aetatis non repugnet et a frequenti verborum usu sit leviter et naturaliter deflexum, quid longe desciscat et formam inferioris aetatis prae se ferat; tum utuntur tanquam certo contextu minime emendato librariorumque errores incuriosi graviter tanquam scriptoris accusant; postremo Ciceronem perfectum oratorem statuunt, quid autem Romanis sit perfectum visum, suo judicant sensu, quae displiceent Ciceroniana esse negant; qui si totum Ciceronis scribendi genus libere considerassent, nossent multa Romanis oratoria visa esse, quae nobis declamatoria videantur, flumen ornatorum verborum, si logicorum severitas adhibeatur, turbidum saepe reperiri, argumenta multa et enthymemata et valde infirma poni et eadem aliis atque aliis verbis repeti etc. Quid multa? nonne decennio ante provisum dixeris, ne talia, qualia nunc Zumptius obtulit, scribere inter philologos liceret?

38) Plut. V. Brut. c. 22: *ἐπεὶ δὲ Κικέρων τῷ πρὸς Ἀντώνιον μίσει τὰ Καίσαρος ἔπραττε, τούτῳ μὲν ὁ Βροῦτος ἐπέπληττεν ἰσχυρῶς, γράφων, ὡς οὐ δεσπότην βαρύνοιτο Κικέρων, ἀλλὰ μισοῦντα δεσπότην φοβοῖτο καὶ πολιτεύοιτο δουλείας αἵρεσιν φιλανθρώπου ... θαυμάζειν δὲ Κικέρωνα, εἰ πόλεμον μὲν ἐμφύλιον καὶ κινδυνώδη δέδοικεν, αἰσχρὰν δὲ καὶ ἄδοξον εἰρήνην οὐ φοβεῖται, τοῦ δ' Ἀντώνιον ἐκβαλεῖν τῆς τυραννίδος μισθὸν αἰτεῖ τὸ Καίσαρα καταστῆσαι τύραννον*: cf. V. Cicer. c. 45: *ἐφ' ᾧ σφόδρα Βροῦτος ἀγανακτῶν ἐν ταῖς πρὸς Ἀττικὸν ἐπιστολαῖς καθήψατο τοῦ Κικέρωνος, ὅτι διὰ φόβον Ἀντωνίου θεραπεύων Καίσαρα δῆλός ἐστιν οὐκ ἐλευθερίαν τῇ πατρίδι πράττων, ἀλλὰ δεσπότην φιλάνθρωπον αὑτῷ μνώμενος.*

quam epistolae, quae si maxime spuria sit, vel sic illius aetatem longe antecedat; qui quod illum post proscriptionem demum ad Brutum fugisse tradit [39]), ne propositum quidem habuit temporum ordinem servare, sed illud tantum egit, ut insignium proscriptorum fortunas et exitus narraret; neque aut veri simile est juveni, cujus tanta existimatio esset, etiam post proscriptionem iter in hostilia castra patuisse, aut quicquam causae apparet, cur Messalam proscripserint, nisi eum jam tum apud Brutum degere noverunt; denique ut summa Appiano fides constet, quidni censeamus Messalam jam antea iter ad Brutum fecisse indeque ante proscriptionem Romam rediisse? Unum igitur restat, ut singulae sententiae hominum rerumque dignitati conveniant; qua in causa quantopere Zumptius caecutiat, jam in exordio epistolae apparet, ubi Ciceronis verba: *quibus igitur literis tam accurate scriptis assequi possum subtilius ut explicem*, ita demum illo digna fore putat, ubi aut *tam* in *quamvis* mutetur aut *tam accurate scriptis* tota ejiciantur; ego vero omnia recte procedere arbitror, modo sequentia: *quam is tibi exponet*, non a comparativo *subtilius*, quem absolute intelligendum censeo, sed ab ipsa particula *tam* suspendamus: *cupio tibi subtilius explicare, quae gerantur quaeque sint in re publica, id autem ut assequar, nullas literas tam accurate scribere possum, quam* (scil. *accurate*) *is tibi exponet, qui et optime omnia novit et elegantissime expedire et deferre ad te potest.* In hac ipsa vero Messalae laude quod cavillatur elegantiae nihil loci fuisse, *certe minime curasse Brutum num ea eleganti oratione sibi narrarentur nec ne* (ipsius Zumptii scripturam vides), vereor ne minus illi orationis virtuti tribuat quam veteres fecisse ex ipsius Ciceronis epistola ad Ser. Sulpicium Fam. IV. 4 intelligimus, ubi si *subtilitatem* et *elegantiam* arctissime jungi videmus, nostro quoque loco haud scio an aptissima sit vox, qua Cicero declaret se, ne si elegantissimam quidem epistolam scripsisset, tam accurate ac subtiliter rem exponere potuisse, quam Messala coram narrando facturus sit; hujus igitur narrationem et elegantia et subtilitate suae epistolae instar fore [40]). Nec justiorem reprehendendi causam praebent sequentia: *cave*

---

39) Bell. civ. IV. 38: *Μεσσάλας δὲ ἐπιφανὴς καὶ νέος ἐς Βροῦτον ἔφυγε· καὶ αὐτοῦ δείσαντες οἱ τρεῖς τὸ φρόνημα προὔγραψαν οὕτως· ἐπεὶ Μεσσάλαν ἀπέφηναν ἡμῖν οἱ προσήκοντες αὐτῷ μηδὲ ἐπιδημεῖν ὅτε Γάϊος Καῖσαρ ἀνῄρητο, ἐξῃρήσθω τῶν προγραφθέντων ὁ Μεσσάλας· ὁ δὲ τὴν μὲν συγγνώμην οὐκ ἐδέξατο κ. τ. λ.*

40) Recte omnino Matthiae ad Cic. pro Sulla c. 28: *elegantia cernitur in eligendis iis quae cuique tempori, loco, condicioni accommodata sint*; nec si Cicero Fin. II. 9 *confuse loquentem contemnere* ait *disserendi elegantiam*, dubium est, quin ei quoque *elegantia* tribui possit, qui, ut ejusdem verbis utar Orat. III. 14, *distincte, qui explicate, qui abundanter, qui illuminate et rebus et verbis dicat*; quibus

enim putes probitate, constantia, cura, studio rei publicae quicquam illi esse simile, quae quomodo recte dicta esse videri possint, Zumptius non intelligit; mihi vero ipsae illae virtutes, quibus iste hic locum esse negat, *in quibus hoc inest, ut Messala videatur libertatem rei publicae tuitus esse nec descivisse ad triumvirorum partes,* eam vim habere videntur, ut Messala quasi ipsius Ciceronis locum tenere eandemque apud Brutum fidem invenire possit, ac si hic ipse easdem res per epistolam exposuisset. Sequitur eloquentiae laus, qua Messala *mirabiliter excellere* dicitur; quae tantum abest ut adjectis verbis: *quanquam in hac ipsa sapientiae plus apparet,* minuatur, ut nihil aliud in hoc additamento cognoscam nisi notissimum illud philosophorum placitum, quo *doctrina vim insitam promoveri* docent, nec major calumnia cogitari potest, quam qua Zumptius *gravi judicio multaeque arti,* qua Cicero Messalam *in verissimo genere dicendi se exercuisse* praedicat, eam significationem tribuit, ut Messalam ingenio minus valuisse in eloquentia, optimo tamen ejus genere intellecto multa exercitatione illud vitium correxisse arguant! Quanquam ne in his quidem consistit, sed *industriam* quoque et *studium,* cujus mox laudes sequuntur, sapientiae laudi non minus officere putat, quam modo eloquentiam sapientiae accessione obumbrari arbitratus erat [41]), eoque caecitatis procedit, ut serio quaerat, *ubi et quale summum illud,* quod Messalae tribuatur, *ingenium esse potuerit, si omnia in sapientia et industria posita sint?* quasi non haec ipsa tria sint, quibus in unum conjunctis demum *illud nescio quid praeclarum ac singulare existere solere* unanimis antiquitatis consensus clamat, ut neque ingenium sine arte, neque artis praecepta sine diuturno studio et exercitatione quicquam efficere possint, quod homine liberali et erudito

---

virtutibus licet illic *ornata* potius oratio definiatur, ornatus et elegantia certe non magno intervallo distant.

41) Ne quis injuriam Zumptio factam putet, ipsius verba subjeci p. 26: *sententia vero hoc loco efficitur prorsus praeclara: eloquentiam Messalae laudaturus est hic quisquis fuit; sed ejus laude minuta substituerat sapientiam, quam dicebat; qua item contempta jam industriam hominis praedicat, quae tanto sit, ut ingenio non maxima gratia, id est opinor non ita magna tribuenda sit!* Extrema quoque dici non potest quomodo corruperit, qui ne id quidem intellexerit, Ciceronem, quum *maximam ingenio gratiam habendam esse* neget, ingenio quidem, quod claris verbis *summum in eo esse* ait, nihil detrahere, *industriae* autem *studioque* tantum addere, ut haec etiam pluris quam illud habenda esse dicat; de *gratia* autem *habenda* quod cavillatur: *Ciceronem videlicet servarat eloquentia sua Messala — an quae alia erat causa animi grati?* non meminit scilicet *gratiam* ut *meritum,* cui respondet, multo latius patere et ad omnes res transferri posse, quas merito suo amemus vel admiremur, ut Offic. III. 15: *etenim qui omnino tantum se negat facturum compendii sui causa, quod non liceat, huic nec laus magna tribuenda nec gratia est.*

dignum haberi possit [42]). Hic igitur in utro major *obscuritas cogitandique confusio* cernatur, facile judicium est, constatque sibi Zumptius etiam in sequentibus, ubi ad verba: *hoc levabar uno, quod ad te tanquam ad alterum me proficiscens et officio fungebatur et laudem maximam sequebatur,* haec commentatur: *causae quae Ciceronem de Messalae discessu consolarentur, poterant esse aut hae tres, primum quod ad M. Brutum, qui alter quasi id est amicissimus Tullii esset proficisceretur, deinde quod officio suo fungeretur, tum quod laudem maximam sequeretur, aut solae duae, quas posteriore loco posui; has duas proprie solas quum afferre vellet hic declamator, ne tamen amicitia, quae inter Brutum et Ciceronem fuit, praeteriretur, tertiam illam ita intulit, ut ineptus fieret!* Immo opinor quisquis hanc epistolam scripsit inepte fecisset, si tres illas causas eodem loco et ordine habuisset; quarum prima eam tantum vim habebat, ut Ciceroni perinde esse deberet, sive secum sive cum Bruto quasi *altero se* Messala degeret, reliquae autem duae rationem continent, quapropter Messalae etiam potius ad Brutum proficiscendum quam Romae manendum fuit; idque ipsum variata constructione declarat, quum jam hoc sibi aequo animo ferendum fuerit, Messalam ad Brutum proficisci, tum se ea re etiam levari, quod ille simul et officio fungatur et ad summam laudem tendat. Sed haec fortasse leviora; impeditius est, quod in ipsius excusationis principio legitur: *quod si ita est, utriusque rei meum judicium tibi cupio esse notissimum, neque solum ut Solonis dictum usurpem;* quae quocunque verteris, aliquid duri et anacoluthi habere non nego; illud tamen, quod hic quoque praecipue Zumptius criminatur, non invenio, neque ipsam illam scabritiem ita comparatam esse arbitror, ut declamatoriae potius ostentationi quam festinantis scriptoris negligentiae conveniat. Si quid enim reprehendendum est, in eo cernitur, quod post *non solum* non sequitur quod exspectes *sed etiam*, sed et ipsum Solonis dictum extra reliquae orationis tenorem memoratur, et Ciceronis sententia laxe et hiulce annectitur; at opinor id ipsum epistolari perspicuitati dedit, ut *εἰρομένῃ* potius λέξει,

---

42) Plut. Educ. c. 4: *ὡς εἰς τὴν παντελῆ δικαιοπραγίαν τρία δεῖ συνδραμεῖν, φύσιν καὶ λόγον καὶ ἔθος· καλῶ δὲ λόγον μὲν τὴν μάθησιν, ἔθος δὲ τὴν ἄσκησιν· εἰσὶ δὲ αἱ μὲν ἀρχαὶ τῆς φύσεως, αἱ δὲ προκοπαὶ τῆς μαθήσεως, αἱ δὲ χρήσεις τῆς μελέτης, αἱ δ' ἀκρότητες πάντων· καθ' ὃ δ' ἂν λειφθῇ τις τούτων κατὰ τοῦτ' ἀνάγκη χωλὴν γίνεσθαι τὴν ἀρετήν*: cf. Protagoram in Cram. Anecdd. Paris. T. I, p. 171, Xenoph. Mem. III. 9. 2, Plat. Phaedr. p. 269 D, Aristot. Politic. VII. 12. 6, Cic. Inv. I. 4, Orat. I. 22, quaeque intpp. ad orat. pro Archia c. 1 et Horat. Carm. IV. 4. 33 attulerunt; item Senecam Epist. 90: *virtus non contingit animo nisi instituto et edocto et ad summum assidua exercitatione perducto .. et in optimis quoque, antequam erudias, virtutis materia, non virtus est;* dial. de Orat. 33, Gell. XIII. 8 etc.

quam rhetores appellant, quam περιοδικῇ uti mallet, in sententiarum vero processu, qualem ipse Zumptius recte perspexit, *temeritatis* certe, *quae Ciceroni tribui nequeat*, nihil inest, neque eam *praefationem* video, post quam exspectare possis Ciceronem diutius in ea disputatione versaturum esse, quam ipse Zumptius *ineptam* fore intellexit, ut Solone auctore *de universa ratione praemiorum et poenarum* dicat. At, inquit, ne iis quidem constat, quae deinceps se expositurum profitetur, *quam rationem praemiorum et poenarum decernendarum in bello Mutinensi secutus sit*, sed in alia omnia abreptus post multas demum ambages inde a verbis: *huic habiti a me honores nulli quidem*, incipit primum de praemiis deinde de poenis dicere; quae antecedunt, quid opus erat scribi ad M. Brutum, *qui ea omnia optime nosset, qui si non ipse interfuerat iis rebus, saepe audierat quum ab aliis tum ab Cicerone ipso?* Quasi vero narret nunc Cicero Bruto quod eum ignorare arbitretur, non recogitare jubeat, qualem ipsius et rei publicae condicionem fuisse sciat, ut intelligat, quam injuste Ciceronem reprehenderit propter consilia, quae necessaria fuisse nemo negare possit, qui illorum temporum recte recordetur! Neque enim aliter excusari poterant honores in Octavianum collati, quam quia *debiti* et *necessarii* fuissent; quod quum non intellexisse Brutus videretur, quia alioquin Ciceronem in illis non reprehendisset, res ipsa postulabat, ut ei in memoriam revocaretur, quo in statu ipse ex Italia cedens rem publicam reliquisset: initium libertatis recuperandae factum esse a conjuratis, multa tamen praetermissa; rem publicam erectam studia sua obtulisse, duces peregre proficiscentes eandem destituisse; Ciceronem solum relictum sine Octaviani adjumento Antonii furori resistere non potuisse; quae qui praeter necessitatem a declamatore aliquo *ad eloquentiam ostendendam et inanes quasdam verborum formulas eleganter componendas* praemissa putet, eum tantae gravitatis argumento dijudicando parem esse jure tuo neges. De singulis autem prorsus caecutit, veluti quod *ipsis Idibus Martiis*, non *post interitum Caesaris et vestras memorabiles Idus* ponendum fuisse ait, quod Cicero *praetermissum* a conjuratis dicat; quasi hoc solum innuat, quod saepe Bruto exprobrat, Antonio pepercisse, neque eadem voce *sessionem* illam *Capitolinam* [43]) reliquamque inertiam comprehendat, qua factum esse ut

43) Att. XIV. 14; cf. ibid. ep. 10: *meministine me clamare, illo ipso primo Capitolino die senatum in Capitolium a praetoribus vocari? dii immortales! quae tum opera effici potuerunt, laetantibus omnibus bonis, etiam sat bonis, fractis latronibus! Liberalia tu accusas? quid fieri tunc potuit? jam pridem perieramus. Meministine te clamare, causam periisse, si funere elatus esset? at ille etiam in foro combustus laudatusque miserabiliter* etc.

quamvis sublato tyranno *instrumentum regni ad Lepidum et Antonium* deferretur; nec melior causa est sequentis cavillationis, ubi eum qui haec scripserit: *erexerat enim se civitas in retinenda libertate consentiens*, aut *erectam* civitatem pro *depressa* et *afflicta* dixisse aut particula *enim* male usum esse ait, *quorum neutrum in Ciceronem cadere posse!* Nempe hic quoque εἰρομένῃ λέξει Cicero utitur, qui quum hoc dicere vellet: *quamvis enim se civitas erexisset . . . vos Italiae sua studia profitenti remisistis*, prius membrum absolute praemisit, servata tamen quae ad integram sententiam pertinet particula *enim*, eoque facto cavillandi occasionem dedit, quasi causam antecedentium in ipso illo priore membro posuisset, licet prorsus eadem ratio in loco sup. not. 14 citato obtineat, ubi facile apparet causam, quapropter Ciceroni verbum *inhibere* displicet, non contineri in proxime sequentibus: *est enim verbum totum nauticum*, sed ab his initium tantum fieri ejus demonstrationis, qua verbi illius rejiciendi causas aperiat [44]). *Verum*, inquit, *ejusdem temeritatis simillima indicia sunt in iis, quae sequuntur*. Quid igitur? *Nos tum nimis acres*, id est, inquit, *Cicero vel solus vel cum amicis suis*, idque contra historiam dictum esse arguit, unde discamus Ciceronem primum quidem ἀμνηστίαν suasisse, deinde vero vel ante Brutum et Cassium urbe excessisse rusticandoque et otiando tempus trivisse. Vero; quid autem cogit ut Ciceronem solum intelligamus, ubi claris verbis *civitatem se erexisse* legimus hujusque studiis defuisse Brutus accusatur? vel ut ambigue dictum sit, ipsa haec calliditas haud scio an Ciceronem maxime deceat, quem non video cur vetemus iisdem artibus, quibus saepe alienas causas egerat, in se ipso tuendo uti [45]); praesertim in ea disputatione, ubi non tam temporum rationes quam eventus agerentur, quos utriusque consilia habuissent! Huc enim tota excusatio dirigitur, ut Brutus sive cedendo sive fugiendo Italiam sine praesidio reliquerit, Cicero quamvis et ipse proficiscendi consilium cepisset, tamen velut divinitus admonitus, postquam eum venti in patriam retulerint, Antonio se vel solus objecerit; quod

---

44) Eadem causa est notissimae illius constructionis Catil. I. 1: *an vero vir amplissimus P. Scipio pontifex maximus Ti. Gracchum privatus interfecit, Catilinam nos consules perferemus?* ubi pariter ineptus sit, qui Ciceronem hoc quaerere arguat, num Gracchus a Scipione interfectus sit; cf. Stuerenburg ad Cic. pro Archia p. 161, Otto ad eund. de Finibus p. 163, Hand Turs. T. I, p. 350, Wex Beiträge zu Tac. Agricola p. 11 etc.

45) Drumann T. VI, p. 129: *und auch übrigens bleibt er sich nicht gleich, weil er theils sich nicht genau an das Vergangene erinnerte, theils die Dinge sich so fügen mussten, wie es der Zweck des Berichtes erfoderte* etc.

sive statim post Idus Martias, sive aliquot mensibus post fecit, parum interest ad eam quaestionem, in qua caput disputationis cernitur, utrum necessarium fuerit Octavianum contra Antonium armari; idemque in alteram illam calumniam cadit, quae Zumptio cum Tunstallo communis est, ut haec quoque verba: *itaque quum teneri urbem a parricidis viderem, nec te in ea nec Cassium tuto esse posse, eamque armis oppressam ab Antonio, mihi quoque ipsi esse excedendum putavi*, historicae veritati repugnare dicant, unde Ciceronem jam aliquot diebus antequam Brutus et Cassius urbe excederent, in villas suas abiisse constet. Mitto quod jam Tunstallo opposui, Brutum et Cassium jam eo tempore, quo in urbe manserunt, *tuto* ibi vix esse potuisse [46]; at ipsum *excedendi* vocabulum nulla causa est cur ad urbem magis quam ad totam Italiam referamus, unde Cicero cedendi consilium ceperit, postquam ipsam urbem ab iis relinqui viderit, quos ut magistratus ibi adesse necesse esset; nec si Cicero privatus rusticabatur et otiabatur, modo prope urbem et in Italia maneret, officio deerat, illi vero praetores simulatque ex urbe fugerant, ceteris quoque velut deserendae rei publicae signum dederant. Atque haec omnia qui neglexerit, quo jure imperitos vocet, qui Ciceronis manum in hac epistola tuentur, lectores viderint: ipsius vero caecitatem non minorem in iis deprehendas, quae jam ad ipsos adolescentis honores transgressus ad haec verba annotat: *quum se nondum ne Decimi quidem Bruti divina virtus ita commovisset, ut jam id scire possemus.* Nimirum haec vel tiro intelligat eum sensum habere, ut etiam si fortasse jam se Brutus commovisset, nuncius tamen ejus rei Romam nondum pervenire potuisse dicatur; Zumptius vero, ut extrema *inepte apposita esse insimularet ab homine qui sententiae incuriosus inanem verborum sonum quaereret*, quid tandem, inquit, *scirent homines consecuturum ex virtute Decimi commota?* quasi non id ipsum tum exspectandum fuerit, num eae Bruti aut vires aut copiae futurae essent, ut id quod edicto proposito pollicitus erat, perficere Galliamque in Senatus populique romani potestate retinere posset [47]. Idem mox nescio quomodo argutatur, quum verbis: *quid enim est sine imperio exercitus?* aliam sententiam inesse velit atque

46) Att. XIV. 5: *sed vides magistratus, si quidem illi magistratus; vides tamen tyranni satellites in imperiis, vides in latere veteranos; eos autem, qui orbis terrae custodiis non modo septi verum etiam magni esse debebant, non tantum non laudari atque amari, sed parietibus contineri*; cf. ipsorum epistolam ad Antonium Fam. XI. 2: *putesne nos tutos fore in tanta frequentia militum veteranorum* etc.

47) Philipp. III. 4.

illis in Philipp. V. 16 vel XI. 8: *quae est enim ratio aut qui potest fieri, ut sine imperio teneatur exercitus?* Nempe exercitum quidem etiam sine imperio exercitum esse ait; imperatorem sine eo ullum esse aut exercitum tenere posse negat; at opinor id ipsum nunc quoque Ciceronem dicere ostendunt proxime antecedentia: *tamen erat exercitum habenti necessarium,* unde facile apparet illic quoque non de exercitu, qui imperatore careat, sed de duce exercitum habente agi, qui tamen ipso exercitu recte uti non possit, nisi imperium legitimum in eum acceperit. In sequentibus quae Zumptium offenderunt, pleraque jam contra Tunstallum ita defendisse mihi videor, ut refellendi compendium facere possim; illud tamen ne Tunstallo quidem in mentem venit, ut ea quae de honoribus Decimo Bruto a Cicerone decretis dicuntur, eodem cum Octaviani honoribus loco haberet eoque consilio commemorari putaret, ut illorum quoque nimietas excusaretur; quae si quis paulo accuratius inspexerit, id potius propositum habere intelliget, ut quicquid Octaviano tributum sit, prae illis exiguum fuisse ostendatur. Verissimum est Marcum Brutum, *si querebatur de nimiis honoribus a Cicerone decretis, non illud questum esse, quod Decimo decreti essent, socio consiliorum et adjutori tollendae dominationis;* nec Zumptium magis quam me ipsum offenderet, si viderem ea, quae aut in hunc aut in Hirtium, Pansam, Aquilam collata fuerint, a Marco Bruto reprehensa dici; at enim si quid sapio, his ipsis honoribus Cicero ad excusationem suam utitur, ne soli Octaviano aut omnia aut plurima decrevisse videatur, sed inter tot tamque exquisita praemia, quibus omnes belli duces mortuos pariter ac superstites cumulaverit, etiam *ovatio* illa veniam inveniat, qua Octavianum sine summa imprudentia privari potuisse negat; nec quod mox iterum ad Decimum redire videtur: *D. Bruto decrevi honores, decrevi L. Planco,* aliter accipiendum arbitror, quam ut idem quod Decimo, etiam Munatio Planco debitum esse doceat. Zumptio quidem haec quoque *incredibilis temeritas* videtur, quod D. Bruto cum L. Planco conjuncto *diversarum partium homines, in quibus honore ornandis non idem sentire M. Brutum par fuerit, male componantur;* ego vero eandem partium diversitatem in rem meam converto, si quidem consentaneum erat M. Brutum honores in Decimum collatos probare, in Plancum vituperare, Cicero autem hos ipsos ita excusat, ut duos quasi aemulos eodem loco habendos fuisse moneat, atque aliquid etiam Senatus sapientiae vindicet, *qui, qua quemque re putet, modo honesta, ad rem publicam juvandam posse adduci, hac utatur.* Neque sagaciorem Zumptium in

iis explicandis deprehendimus, quae ad ipsam ovationem Octaviano decretam pertinent, qua Cicero postquam *nihil in hoc bello prudentius se sensisse* dixit, *cur autem*, inquit, *ita sit, aperiendum non est, ne magis videar providus fuisse quam gratus*, nimirum quia illa ovatione a senatu negata Octavianus ab hujus partibus abalienatus esse videbatur 48); quod ille non perspiciens Ciceronem putat *eam utilitatis rationem exponere nolle, ne non gratus esse videatur*; *quasi vero hac gratia referenda M. Bruto satis facere potuerit!* De altera autem epistolae parte, quae est *de poena*, quum ne simulacrum quidem justae reprehensionis invenire possit, aperte cavillatur, primum ipso singulari reprehendendo, cui ita tantum locum fuisse ait, si Cicero *philosophorum ratione de universa poena* dixisset, deinde praefiniendo, quid Ciceroni ad M. Brutum aut huic ad illum scribenti scilicet convenerit, postremo, ubi ipse adeo sobrietatem narrationis agnoscere cogitur, singula verba carpendo, vel ubi haec quoque aliorum locorum comparatione confirmari videt, imitationem arguendo, ut prorsus in ipsum cadat, quod de Marklando quondam Gesnerus dixit: *quum de iisdem rebus, de quibus quotidie agere solebat Tullius, eadem verba adhibentur, furem tenet vir doctus, quum aliquid ponitur dignum Cicerone, sed nondum in aliis, quae supersunt, observatum, imperitia arguitur et latini sermonis ignorantia!* Haec igitur seria refutatione ne indigere quidem videntur; ne tamen quamvis ad finem properantes lectores quicquam desiderent, quod aut ad ipsius epistolae aut ad oppugnatoris ejus existimationem pertineat, integra hujus verba, quae locum de poena tangunt, in margine subjeci 49); ubi quod acerrime urget crudelitatis reprehensionem

---

48) Ovationem enim a Cicerone decretam senatus assensum non magis tulisse, quam quod ille de D. Bruti nomine fastis ascribendo censuerat, clarissime produnt verba: *quod ab tuis familiaribus, optimis illis quidem viris, sed in re publica rudibus, non probabatur*, ut jure mireris Drumannum T. I, p. 313 scribentem: *eine auf Ciceros Vorschlag bewilligte Ovation kennt nur der Verfasser der unächten Briefe;* immo hanc ipsam triumphi negationem Octaviani animum merito offendisse ex Appiano quoque III. 89 intelligas; idque ipsum nunc Cicero respicit, ubi illum decerni etiam magis ad providentiam et cautionem quam ad grati animi testificationem pertinuisse innuit.

49) P. 41: *Causae vero, quibus se ductum esse ait, rursus sunt ejusdem generis ac quibus antea excusati erant nimii honores, speciosae illae quidem ad declamandum, ad demonstrandum nullae, et M. Ciceroni ad M. Brutum scribenti parum convenientes. Vituperasset Brutus nimiam quandam Ciceronis pertinaciam, qui eo, quod Antonium hostem judicandum et bellum contra eum decernendum esse vehementissime contendebat, multos etiam bonos cives a sua causa avertisset. Sed praetermissis his declamator, postquam sententiolas nonnullas argutas composuit nec ullam certam rem commemoravit, properat ad locum egregium sane in justa oratione ad commiserationem movendam, sed qui in ea familiaritate*

propter Lepidi liberos a Bruti persona alienam esse, equidem haud scio an ei, quem in Scaptiana causa vel iniquissimas res a Cicerone petentem videmus [50]), tales quoque preces conveniant, quibus etsi non a stricto jure tamen ab humanitate et necessitudine excusatio suppetat; quod autem in Cassii ad Ciceronem epistolis, qui eadem affinitate cum Lepido junctus erat, nihil ejusmodi exstare arguit, non meminit vir doctissimus, has epistolas ante scriptas esse, quam Lepidus ad Antonium defecisset, nedum ejus rei fama ad Cassium in Syria degentem pervenire posset! De iis denique quae in peroratione carpit, ipsi lectores judicent, num in his verbis: *habes rationem mearum sententiarum, de hoc genere duntaxat honoris et poenae: nam de ceteris rebus quid senserim quidque censuerim, audisse te arbitror: sed haec quidem non ita necessaria, illud valde necessarium te in Italiam cum exercitu venire quam primum,* aut aliquid insit, quod, ut ipsius Zumptii verbis utar, *comicum poëtam, non serio scribentem Ciceronem deceat,* aut ea, quae hic necessaria esse negat, ad *rationem honorum et poenarum potius, quam ad id quod de ceteris rebus senserit* spectent, aut haec ipsa cum iis, quae de *ratione suarum sententiarum,* non *de sententiis* exposuit, ita comparari possint, ut jure suo Zumptius cavilletur: *quasi vero aut de honoribus et poenis quas sententias Cicero dixerat, non audiverit Brutus, aut ideo suscepta fuerit haec disputatio, ut primum audiret ille quae antea ignoraverat?* equidem illud solum urgebo, quomodo tantae quaestioni decernendae par haberi possit, qui et hoc reprehendat, quod Cicero *maximam spem quum in auctoritate Bruti tum in exercitus hujus viribus esse scribat,* et *ridiculam* dicat adhortationem: *scis enim, quantum sit in temporibus, quantum in celeritate!* Scilicet *auctoritatem in bello nisi ad continendum exercitum nihil valere* ait,


---


epistolarum, quam inter Brutum et inter Ciceronem intercedere oportebat, inveniri non potuit. Neque vero ipsa res, de qua locus ille male conflatus est, aut tradita ab ullo alio aut per se ipsa probabilis. Dicitur enim de liberis Lepidi, quos, quum pater hostis judicatus bonaque publicata essent, splendore fortunae privari necesse erat. Quod si ipse declamator dicit et antiquum esse et omnium civitatum, addo ita fuisse solitum et necessarium, ut nihil prorsus de eo in talem modum dici oporteret. Commendaret sane sororis liberos Ciceroni M. Brutus; ut crudeliter in eos agi existimaret aut quicquam mutari vellet, fieri non potuit. Nec in C. Cassii, quem item Lepido affinem fuisse supra dictum est, ad Ciceronem epistolis, quae aliquot supersunt, de Lepidi liberis aut in M. Antonii liberis ab ejus amicis incusari et a Cicerone defendi video illam tanquam crudelitatem.

50) Att. V. 21: *meditare adversus Brutum causam meam, si haec causa est, contra quam nihil honeste dici potest;* cf. ibid. VI. 1 pluraque apud Drumannum T. IV, p. 20 sqq.

quasi aut consilia obmutescant in bello aut quacunque de re consulentes deliberantesque principis alicujus viri auctoritate et exemplo facile careant; de temporibus autem quae argutatur, *in celeritate quidem plurimum esse positum, in temporibus vel nihil vel omnia,* ipsius Ciceronis verbis refutantur, qui Fam. XV. 15, postquam *communem salutem in celeritate victoris positam fuisse* dixit, sic pergit: *amissis autem temporibus, quae plurimum valent, praesertim in bellis civilibus* etc. Sed haec sufficiant, ne vel verbum ultra dixisse videar, quam ad ipsum litis argumentum necesse erat; quanquam id adeo Zumptiani nominis honori tribui, ut integram disputationem ad finem usque persequerer; idem tamen, si cui etiam nunc nimis tenax aut superstitiosus in externa auctoritate tuenda censear, in ipso refutationis fine candidus profiteor, nihil mihi acceptius fore, quam si Zumptius eandem hanc disputationem, in qua refutanda versatus sum, a falsario vel declamatore aliquo illustri suo nomini suppositam esse demonstraverit.

P. P. in Academia Georgia Augusta m. Sextili a. MDCCCXLV.




Lc 40.310
Vindiciarum Brutinarum epimetrum,
Widener Library 001946644
3 2044 085 195 675